
$B 102 519

DE

FRANCIÆ COMMERCIO

REGNANTIBUS KAROLINIS

THESIM

Facultati litterarum Parisiensi proponebat ad doctoris gradum promovendus

PAUL GAFFAREL

In hujus facultate jam licentiatus, olim scholæ normalis alumnus, professor historiæ aggregatus

LUTETIÆ PARISIORUM

EXCUDEBAT ERNEST THORIN BIBLIOPOLA

VIA MEDICI, 7

DE

FRANCIÆ COMMERCIO

REGNANTIBUS KAROLINIS

THESIM

Facultati litterarum Parisiensi proponebat ad doctoris gradum promovendus

PAUL GAFFAREL

In eadem facultate jam licentiatus, olim scholæ normalis alumnus, professor historiæ aggregatus.



LUTETIÆ PARISIORUM
EXCUDEBAT ERNEST THORIN BIBLIOPOLA
VIA MÉDICIS IX

VESONTIONE
APUD MARION BIBLIOPOLAM
FORUM SANCTI PETRI

IN MONTE PUELLARUM
APUD COULET BIBLIOPOLAM
VIA MAGNA

MDCCCLXIX

T. L.

ERUDITISSIMO STUDIORUM MEORUM

FAUTORI

A. HIMLY

In facultate litterarum Parisiensi geographiæ professori

HOC OPUSCULUM

D. D. D.

PAUL GAFFAREL

PROEMIUM

Pro Ambianensi Academia, anno MDCCLIII, abbas Carlier scripserat dissertationem de commercio Franciæ regnantibus Merovæis et Karolinis. Hanc autem materiam quum primis, ut ita dicam, digitis attigisset, quumque alia parte me non lateret nonnullos evasisse nostra tempestate, qui Karolinorum regnis summopere studuerint, mihi in mentem venit alteram dissertationis partem de integro tractare, et hoc, quantulumcumque sit, opusculum libris recentibus de Karolinis addere.

Hactenus enim historiarum scriptores id tantum sibi proposuerant, ut res militares, aut litteras, civiliaque instituta per hoc tempus quasi renascentia describerent : Quidquid vero spectat ad naturæ dona hominum industria atque artibus in varios usus conversa, deinde per negotiatores huc illuc delata, omnino neglectum erat. Quare non inutile videbatur, quam mihi provinciam sumpsi, enumerare et quibus legibus uterentur negotiatores, et quas merces aut emerent aut venumdarent, et quæ in loca potissimum convenire solerent. Librum igitur hunc conscripsi, in tres partes divisum, quarum una spectabit ad *homines*, altera ad *res*, tertia ad *regiones*.



PARS PRIMA

CAPUT I

De negotiatoribus indigenis

Leges ecclesiasticæ de commercio.

Si quis, duobus aut tribus abhinc post sæculis, in animo habeat exponere quales homines, nostra tempestate, commercio in Francia indulgerent, rem prorsus haud arduam aggredietur : Non deerunt enim documenta, quæ leges de negotiatoribus, dies nundinarum, itinera, mensuras, monetasque indicent, ita ut nil relinquatur incertum. Mihi vero de Karolinorum temporibus scribenti haud ita se res habet : Libri enim aut desiderantur, aut rara obscuraque suppeditant documenta. Duo tamen, tunc temporis, exstitisse videbantur negotiatorum genera, alterum scilicet indigenarum, alterum vero Judæorum.

Quod attinet ad indigenas negotiatores, monasticæ regulæ et episcoporum decreta non modo interdicebant commercio omnibus rei divinæ inservientibus (1), imo pœnitentibus (2), sed etiam omnes alios, quibus relicta erat negotiandi facultas, quasi sub tutela capiebant : quippe qui cærimoniis ecclesiarum adesse juberentur, vetarentur autem mercaturæ operam dare diebus dominicis (3). Absit tamen ut Ecclesiam,

(1) Baluze. Capitularia regum Francorum. t. I. p. 1287. canon Herardi archiepiscopi Turonensis. I. 1002, 1032, cap. Anség. IV. 46. VII. 3. — I. 266 capit. Francof. 9.

(2) Bal. I. 1040, 1202, 1292.

(3) Haud equidem diffiteor sacerdotes aut monachos interdum, imo episcopos, secularia negotia non fuisse dedignatos ; (Bal. I. 466, 471, 504, 635, 729, 854, 974, 1285, 1287) neque me latuit Pippini decretum. (Bal. I. 173, 14), publicæ utilitati accommodatum, quo dat licentiam operibus vacandi, et diebus dominicis : quod autem moribus et legibus contrarium.

sic interveniendo commercio sæpe profuisse infitias eamus : ad nos enim ecclesiastica capitularia pervenerunt, quæ nunc justum ac injusto lucro discernunt (1), negotiatoribusque quasi normam vitæ et morum regulam præbent, nunc in malam fidem vehementer (2) invehuntur, aut de usura prohibenda sententiam afferunt (3). Usque adeo religio in omnibus vitæ rebus præpotens ac utilis interveniebat !

De vetitis commerciis.

Reges quoque ac regum ministri dabant operam ne negotiatores male agerent. Neque injusta prorsus neque inanis lex illa Karoli Magni (anno MCCCIII) de commercio coram omnibus exercendo (4). « De negotiis super omnia præcipiendum est ut nullus audeat in nocte negotiare in vasa aurea et argentea, mancipia, gemmas, caballos, animalia, excepto vivanda et fodro, quod iter agentibus necessaria sunt : sed in die coram omnibus et coram testibus unusquisque suum negotium exerceat. » Justæ quoque et temporum necessitatibus accommodatæ leges ejusdem imperatoris, annis DCCXCIV et DCCCVI latæ, quibus pretium maximum assignabat mercaturis, frumento scilicet, avenæ, hordeo etc. « Statuit (5) piissimus rex... ut nullus homo, sive ecclesiasticus, sive laicus sit, nunquam carius vendat annonam, sive tempore abundantiæ, sive tempore caritatis, quam modium publicum et noviter institutum... » sequuntur pretia. « Consideravimus (6) itaque ut, præsenti anno, quia per plurima loca fames valida esse videtur, ubi aliquis super se et super familiam suam aut in beneficio aut in alode annonam habuerit, et venumdare voluerit, non carnis vendat nisi..... » sequuntur pretia. Immerito prorsus leges illas comparares famoso et recenti

(1) BAL. I. 455, cap. 5 (806) 18.
(2) Bibliotheca Patrum, t. XIV, p. 817, cap. Paschasi Radberti in malam mercatorum fidem.
(3) BAL. I. 1287, cap. Herardi, Tur. arch.
(4) BAL. I. 399, cap. V, 2.
(5) BAL. I. 263, cap. Francof. (794) 2.
(6) BAL. I. 455, cap. 5 (806) 9.

decreto, quo mors indicta erat omnibus quicumque merces plus minus ve certo quodam pretio venditarent, sed potius menstrualibus de pretio panis edictis, quæ, nullo abnuente, nullo reclamante, fere hactenus valuerunt.

Lex alia non pariter necessaria fuisse videtur de emptionibus et venditionibus, « ut nullus præsumat aliter vendere et emere sagellum meliorem duplum viginti solidis, et simplum decem solidis, reliquos vero minus; roccum martrinum et lutrinum meliorem triginta solidis etc. » (1) Haud secus, quod attinet ad legem qua Karolus Magnus suis negotiatoribus commercio interdicit, nunc cum Venetis, nunc cum Saxonibus (2). Nulli vero improbare licet severa ejusdem decreta in servorum commercium. Non enim modo (3) Judæi paganique mancipia possidere et vendere vetiti erant, sed ipsi Christiani ea publice, et coram testibus emere aut venumdare debebant. Quinetiam, servus, non jam habetur res nullius pretii : Etenim « si servus et ancilla per venditionis causam separati fuerint, prædicandi sunt ut sic maneant, si eos rejungere non possumus. » (4)

Indigenas igitur negotiatores fere in omnibus rebus quasi sub tutela sacerdotum et regum fuisse dici potest : restat ut leges enumeremus quæ talem tutelam confirmarent.

Hospitalitas.

Nemo quidem nescit Gallos non modo προξενίαν aut hospitalitatem inter civitates mutuam, et ἰδιοξενίαν aut hospitalitatem inter cives largiter exercuisse, sed præcipue advenas benigne excepisse. (5) Quod Karolini non jam spontaneum sed legale fecerunt.

(1) Bal. I. 464, cap. 3 (808) 5.
(2) Bal. I. 351 (801) 17. — I. 399, cap. 5 (803) 2.
(3) Bal. I. 198, cap. (779) 19. « Ut in præsentia episcopi vel comitis sint, aut archidiaconi, aut centenarii, aut vicedomini, aut judicis comitis, aut ante bene nota testimonia. Quod si aliquis legem ruperit, bannum solvat, et, si solvere nequeat, in vadio semetipsum donet comiti. » — « Ut nemo audeat in furto mancipia emere, et in aliam regionem occulte ducere. »
(4) Bal. I. 165, cap. Vernense (752) 19.
(5) Cæsar. De bello Gallico VI, 23.

« Hoc nobis competens, ait Karolus Magnus (1), et venerabile videtur ut hospites peregrini et pauperes susceptiones regulares et canonicas per loca diversa habeant. » Non autem modo hospitalitatem exerceri jusserat, sed etiam curaverat ut quædam loca huc illuc disponerentur quemadmodum publicæ Orientis cauponæ, propter itinera sitæ. Ejus ad exemplum nonnulli proceres, seu per religionem, seu ad conciliandam sibi principis gratiam, atque etiam advenæ pro suis civibus talia construxerunt ædificia.

Hæc prorsus optima per se : mox autem, incuria vel potius cupiditate, ædificia hospitalitati dicata aut diruta aut in alios usus conversa fuerunt, si credendum est epistolæ ad Karolum Calvum anno DCCCLVIII directæ (2) ; atque alia parte hospites patientia hospitum adeo abusi sunt, ut necesse evaserit definire certis legibus potum et victum viatoribus pro sua dignitate assignatum (3). « De dispensa missorum nostrorum, videlicet episcopo panes quadraginta, friskingas tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modii quatuor..... abbati comiti atque ministeriali nostro, unicuique dentur quotidie panes trigintas, friskingas tres, etc. »

Hospitalitas igitur, olim spontanea, aliquando legalis, mox in pejus ruit, neque jam extitit.

De mensuris et monetis. (4)

Nil autem commercium, etsi larga negotiatoribus præbeatur hospitalitas sine justis mensuris justaque moneta valet.

(1) BAL. I. 248 (789) 73. — Cf. I. 370 (802) 27. « Præcipimus ut in omni regno nostro neque dives neque pauper peregrinis hospitia denegare audeant, i. e., sive peregrinis propter Deum ambulantibus per terram, sive cuilibet itineranti propter amorem Dei... tectum et focum, aquam nemo illi deneget. Si autem eis amplius aliquis facere voluerit, a Deo sibi sciant retributionem optimam. »

(2) BAL. II. 112, 10. « Hospitalia peregrinorum, sicut Scottorum sunt, et quæ tempore antecessorum vestrorum regum constructa et constituta fuerunt, ut, ad hoc ad quod deputata sunt, teneantur, et a rectoribus Deum timentibus ordinentur et custodiantur, ne dissipentur, obtinete. »

(3) BAL. II. Lud. Pii Const. Aquisg. (817) 29.

(4) GUÉRARD. Polyptique d'Irminon I. 59, 196. — 109, 139.

Quod optime intellexerunt Karolini reges, qui quidem multas, at plerumque frustra, edidere leges, ut nunc æquas mensuras, nunc unam et legitimam monetam per totum regnum instituerent.

Quod enim attinet ad mensuras, quamvis Pippinus decreverit uti (1) « per omnes civitates legitimus forus et mensura fieret, » quamvis Karolus Magnus (2) iterum et sæpius talia ediderit, mox quæque provincia aut urbs, imo omnes vici et castella quoque proprios ponderandi aut mensurandi habuere modos. In cartulariis monasteriorum nuper editis reperire est miram et importunam mensurarum varietatem (3). In una provincia, Normannia scilicet, diplomata enumerant nunc pro pagis communem mensuram patriæ id est mensuram sextarii de Bernardo, nunc pro feudis mensuram ad quam dominus Sancti Salvatoris consuevit terras mensurare, nunc pro molendinis mensuram molendini de monte, nunc demum pro horreis mensuram granarii abbatiæ Fiscanni.

Jure quidem Karolus Calvus antiqua renovare voluit decreta. Lex autem ejus, licet optima per se, nil aliud significat quam leges in eo tempore impotentes effluxisse : quippe quæ nunquam valuerit « (4) ut comes, aiebat, et reipublicæ ministri ac ceteri fideles nostri provideant quatenus justus modus æquusque sextarius secundum sacram scripturam et capitula predecessorum nostrorum in civitatibus et in vicis et in villis ad emendum et vendendum fiat, et mensuram, secundum antiquam consuetudinem, de palatio nostro accipiant. » Mores autem plus quam leges valuisse, et id confusionis genus usque ad nostra fere tempora quis est qui nesciat ?

Haud secus pro monetis, quas (5) aut falsas aut per unum

(1) Bal. I. 158, cap. Suesson, 6.
(2) Bal. I, 139, cap. 2, (803). — I, 516. — I, 403, cap. 7, (803), 10.
(3) Léopold Delisle. Classes agricoles en Normandie au moyen-âge, p. 529.
(4) Bal. II. 182 ed. Pist., (864), 20.
(5) Traité historique des monnaies françaises, 1 vol. in-4°, Paris, 1690, Leblanc.
Fillon. Monnaies Carlovingiennes, 1 vol. in-8°, Paris.
Barthelemy. Numismatique moderne. — Encyclopédie Roret, 1 vol. in-18. Paris, Roret.

CAPUT II

De negotiatoribus Judæis

De Judæorum divitiis regnantibus Karolo Magno et Ludovico Pio.

Quomodo Judæi (1), nunc sine legibus et patronis occisi aut in exilium missi fuerint, nunc favore principum freti et honoribus cumulati, at semper divitiis et commercio præpotentes floruerint, neminem fugit. Quod autem in Francia præcipue cernere est. Judæorum enim, quos primo ante Christum sæculo Provinciam (2) Romanam jam habitantes videmus, mox numerus adeo crevit, ut Massiliam Gregorius Turonensis appellaverit Hebræorum urbem (3), eosque in Aurelianensi civitate monstraverit obviam euntes regi Guntchramno (anno DLXXXVII), cum signis et vexillis. Una creverunt divitiæ potentiaque : non enim modo de sua fortuna nunquam desperaverunt, sed etiam inter sese societatibus quasi perpetuis juncti, et æmulorum in commercio conatus superabant, et sibi parabant confugium. Imo sese necessarios præstiterunt, ideoque, quamvis ab episcopis interdum expulsi et ab ipso Dagoberto exturbati (4), semper floruerunt, eo potentiores quo utiliores evadebant.

Nil igitur mirum si Karolus Magnus medicum habuerit Ferragutum Judæum, et ad regem Persarum utpote legatos (5) comites Sansfridum et Sigismundum Christianos una cum Judæo Isaac, hos quidem honoris gratia, illum autem veræ legationis secretorum conscium miserit. Imperatoris instar,

(1) DEPPING. Les Juifs dans le moyen âge. 1 vol. in-8°, Paris, 1834.
BÉDARRIDE. Les Juifs en France, Italie, Espagne, 1 vol. in-8°, Paris, 1867.

(2) FERDINAND DELAUNAY. Philon d'Alexandrie. Ecrits historiques. 1 vol. in-8°, Paris, 1867.

(3) Greg. Tur. V. XI- — VIII. I. — VI. XVII.

(4) BOUQUET, III. 129 de gestis Francorum.

(5) BOUQUET, V. 24, 53, 95, 332, 350, 351.

palatini ministri ipsique episcopi non modo Judæos benigne, habebant, sed etiam eorum industria et opere utebantur. Documento sit lepida (1) monachi Sangallensis historiuncula de quodam episcopo, qui a Judæo murem conditum aromatibus pro raro animali emerat, ridente Karolo. Imo sacerdotes interdum ad id familiaritatis descendebant, ut sacra vasa Judæis vendere non dubitarent (2), adeo ut Karolus, anno DCCCVI, severum contra eos ediderit capitularium, « quia dictum nobis quod negotiatores Judæi necnon et alii gloriantur quod, quidquid eis placeat, possint ab eis emere. »

Nullus autem unquam Judæis magis favit quam imperator Ludovicus Pius. Eos enim quasi publicanos et tributorum perceptores instituerat (3) « ita ut deinceps, annis singulis, aut post duorum annorum curriculum, mandante missionum ministro, ad nostrum veniant palatium, atque ad nostram cameram fideliter. » Nonnullis quoque maxima privilegia contulerat nominatim, nunc Donato Rabbi, Samuelque ejus nepoti (4), nunc Judæis Septimanæ Gaudico ejusque filio Jacob et Vivacio, nunc demum (5) Davidem et Josephum atque Ammonicum Lugdunenses sub defensione ac tuitione suscipit et retinet.

Quid plura ? non modo Judæos haud secus ac Christianos ducebat imperator, sed etiam quando Christianum quemdam peculiari gratia volebat onerare, « (6) liceat ei, aiebat, tanquam Judæo, partibus palatii nostri fideliter deservire, et si vehicula infra nostra regna, pro nostris suorumque utilitatibus, negotiandi causa, augere voluerit, licentiam habeat, nullamque dationem neque in nullo loco ei faciatis teloneum reddere. » Nil igitur mirum si Lugdunensis episcopus Agobardus scripserit iratus, (7) Judæos sese ab imperatore melius quam essent Christiani habitos venditare, et ostendere vestes

(1) BOUQUET, V. 112. Mon. S. Gall. I. 18.
(2) BAL. I. 453, cap. 5, (806) 5.
(3) BAL. Id.
(4) BOUQUET, VI. 649. Ludovici Pii diploma.
(5) BOUQUET, VI. 650, 624.
(6) BOUQUET, VI, 649. Diplom. Lud. Pii. an 831.
(7) BOUQUET, VI, 363. Bibliot. Patr. XIV. 255 epistola Agobardi ad Ludovicum Pium de insolentia Judæorum.

muliebres a consanguineis vel uxoribus Palatinorum sibi datas, parentumque suorum jactare gloriam.

De Agobardo archiepiscopo.

Non deerant tamen, quos insolentia Judæorum vehementer excitabat. Quos inter principem obtinebat locum Agobardus Lugdunensis, cujus in urbe episcopali mirum in modum creverant et numerus et privilegia Judæorum. Imo ex assidua cohabitatione et quotidiana familiaritate, non modo Christiani. ne sabbatismus impediretur, mercata transmutaverunt, quæ in sabbatis fieri solebant, sed et diem dominicam illicito labore violaverunt, jejuniisque statutis non jam servatis adfuerunt in synagogis rabbinorum orationibus (1), neque sine fructu. Nonnulli enim Judæos melius prædicare quam Christianos et credebant et profitebantur. Quod ægre ferens Agobardus, utpote fidei defensor, et orator sui conscius, antiqua in Judæos renovare decreta tentavit : sed frustra. Judæi enim miserunt legatos ad imperatorem qui, precibus eorum inserviens, Evrardum comitem et dein Genicum et Fridericum misit ad rem inquirendam. Ceu in Judæos nimium severe invectus fuerit Agobardus, ceu Judæi sibi conciliaverint Evrardum, missus dominicus, creatus magister Judæorum, eis mitis, uti scripsit episcopus, Christianis autem durus exstitit.

Agobardus autem, qui causam non desperatam ducebat, una cum collegis (2) Bernardo et Eaoro, epistolam acerbiorem imperatori misit de judaica superstitione, conciliorumque antiquam severitatem renovandam efflagitavit, atque simul omnes Franciæ episcopos, enarrata Judaica insolentia Evrardique molesta tolerantia, hortatus est, ut missis non

(1) Bouquet, VI. 363. Biblioth. Patr. XXIV p. 255 epistola Agobardi ad Nebridium archiepiscopum Narbonensem de cavendo convictu et societate Judæorum.
(2) Bibliotheca patrum XV. 260, 262.

obedirent. Imperatore autem talem epistolam minimi faciente, tum archiepiscopus proceribus palatii consultationem et supplicationem (1) de baptismo judaicorum mancipiorum misit; quæ vana quoque et irrita cecidit. Judæi enim, quamdiu vixit Ludovicus Pius, maximo in favore versatos est videre.

De Judæorum miseriis post Karolum Calvum.

Mortuo autem imperatore, eorum conditio in pejus ruit. Karolus Calvus profecto paternam tolerantiam imitari in animo habuit, quippe qui medico uteretur Judæo, Sedecia nomine (2), Judæisque legationes tribueret secretas, eisque licentiam daret negotiandi cum levissimo tributo. « (3) De cappis et aliis negotiatoribus, videlicet ut Judæis, dent decimam, et negotiatores Christiani undecimam. » Sed Hincmarus in concilio Meldensi (anno DCCCXLV) severas in eos renovabat leges, et Amolon, Agobardi successor, odiique ejus in Judæos simul hœres, tamen voti compos gloriabatur. Ex eo enim tempore, ad id humilitatis descendit gens detestata ut reges, imo sacerdotes, eos, tanquam prædam cupiditatibus oblatam, libertate bonisque privarent, et uni alterive dono darent (4). « Terras quoque omnes, scribit Karolus simplex, et domos ac vineas quas Judæi in comitatu Narbonensi possidere videntur..., quocumque modo ipsas adquisierint possessiones, pro eleemosyna nostra eidem Sancti Laurentii Narbonensis concedimus ecclesiæ » haud secus rex idem Sancti Quirini Narbonensis ecclesiæ concedit « (5) per nostræ regiæ auctoritatis prœceptum, terram et molendina quæ sunt subtus pontem ipsius civitatis, quæ pertinere Judæis videntur. »

(1) BIBLIOTH. PATR. XV. 262, 263.
(2) BOUQUET. VII. 124, 147, 203, 253, 260, 270.
(3) BAL. II. 268, titulus III Karoli Calvi ad Carisiacum 31.
(4) BOUQUET, IX. 480, 555. Diplom. Karoli Simplicis.
(5) BOUQUET, IX, 521.

Leges in Judæos.

Ceteroquin severissimæ in eos leges, et quando potentissimi florebant, nonnunquam fuerant latæ, quæ precariam efficerent eorum conditionem. Judæos enim derelinquebant reges, ubi eis opus non jam erat. Inde tot decreta, quorum pars ad eorum dignitatem, pars ad vitam bonaque pertinet.

Judæos enim viles ac abominandos habuere Christiani. Agobardus, eorum quasi peculiaris inimicus, postulat (1) ex Agathensi sexto concilio (DVI) et Epaonensi concilio (DXVII), ut seniores clerici qui convivio Judaico interfuerint, excommunicentur per annum, junioresque vapulent, neve Judæi a cœna prima usque ad pascham per plateas ambulent. Sed ipsi reges, qui maxime Judæis faverunt, talibus contumeliis uti non dedignati sunt : Karolus Magnus enim inter eos, quos ad accusanda publica crimina leges non admittunt, annumerat « omnes etiam infamiæ maculis respersos, id est histriones, ac turpitudinibus subjectas personas, hæreticos etiam sive paganos sive Judæos. » Imo connubio interdicit illis, ut a fundamentis mox eruatur religio Judaica (2), eosque ad id adducit ut sese sacrilegio perjurent, aut connubia non jam ducant, ideoque dispereant. » Quod si, ait, absque benedictione sacerdotis, quisquam Christianorum vel Hebræorum noviter conjugium duxerit, aut centum principi solidos exsolvat, aut centum verberatus publice flagella suscipiat. » Omnes igitur, quos excitabat in Judæos aut privatum odium aut furor fanaticus non dubitaverunt eos contumeliis injuriisque onerare impune. In meridionali regni parte mos invaluerat colaphizandi Judæum unum in tempore paschali. Quod ægre ferentes Tolosani Judæi (3) ad regem Karolum Crassum legatos miserunt, ne diutius id tolerarent, sed frustra. In urbe Biterrensi lapidibus obruti erant, et solummodo in anno MCLX sese tali teloneo eximere potuerunt (4).

(1) AGOBARDUS. De Judaica superstitione.
(2) BAL. I. 1189. Additio quarta 2.
(3) BOLLANDISTES. I. mai p. 142. Vita, S. Theodardi.
(4) VAISSETTE. Hist. du Languedoc, 1160.

Inter leges quæ Judæorum bonis minabantur, nonnullæ prorsus aut desuescebant, aut aliis contrariæ vanescebant. Exempli gratia, quamvis sæpe illis interdictum fuerit pecuniæ publicæ tributorumque administratione, Karolus Magnus ejusque filius et nepos Judæis usi sunt, utpote publicanis et fisci magistris. Haud aliter non desunt capitularia, per quæ vetiti erant terras possidere (1). Scimus vero quæ diplomata quasque terrarum confirmationes uni alterive Judæorum suppeditaverint Karolini.

Commercium vero servorum semper vetitum fuisse videtur. Non enim modo leges præcipiunt ne servi Christiani Judæis deserviant vel adhœreant, sed etiam dant facultatem redimendi eos pro duodecim solidis, et invito hero (2), severisque afficiunt pœnis Judæum qui servum illexerit ad Judaicam religionem. Ludovicus Pius tamen semel concessit Judæis Domato et Samuel (3) peregrina mancipia habere et vendere et non baptizare. Nonne vero talibus privilegiis generalis prohibitio confirmatur ?

Itaque Judæi, onerati contumeliis, sine patria, sine lege, suæ libertatis, imo ne vitæ quidem, habentes securitatem, aut perirent omnes, aut fugerent inhospitale Franciæ solum necesse videbatur. Quis autem ignorat illos, commercio et artibus renascentibus, quasi redivivos exstitisse, summaque potentiæque culmina attigisse ? Haud secus ac si privilegium erat gentis Judaicæ extremam miseriem extremamque prosperitatem pati vicissim.

(1) Bal. I. 1173. Additio tertia 90. « Non liceat Christianis Judæorum neque paganorum neque hæreticorum res emphyteosos vel conductionis titulo habere, neque suorum similiter eis accomodare. »
(2) Bal. I. 1105, cap. Auség. VI. 423. — I. 1285. Canones episcopi Isaac, tit. xi, art. 27. — Agobard. loc. cit. — Sextum concilium Matisconense. 106.
(3) Bouq. VI. 649.

CAPUT III

De negotiatoribus e Francia in exteras regiones, aut e regionibus exteris in Franciam pergentibus

Consularis institutio.

Quamvis multa negotiatoribus obstarent impedimenta, quæ commercium Franciæ exterius pessumdare viderentur, non deerant tamen inter Francos audaces vel potius lucri amore abrepti cives, qui non modo sexcentis navigationis periculis sed et exterarum gentium invidiæ obviam ire auderent. Quos sequebantur provida regum decreta, et præcipue Consularis institutio (1).

Consules in tempore sacrorum bellorum sub crucis vexillo susceptorum solum creatos fuisse nonnulli asseverant, neque prorsus me latet nullum certum de consulibus exstare documentum ante diploma marchionis Montisferrati, urbis Tyri possessoris, quo Massiliæ negotiatoribus dat copiam, anno MCLXXXVII, consules habendi (2). Falsa enim et a nostris historiarum scriptoribus fabricata fuit charta famosa, qua Mahumedus ipse christianis concedit ut christianis judicibus utantur (3) : « Per hoc fœdus, ait, et testamentum meum profiteor me defensurum judicem eorum in provinciis meis cum equitibus, peditibus, adjutoribus et sequacibus meis fidelibus, et eos undique ab inimicis servaturum, sive remoti fuerint, sive propinqui etc. » Non est tamen dubium quin

(1) Borel. De l'origine et des fonctions de consul. Pétersbourg 1807. — Steck. De consulum in emporiis Asiæ minoris origine. — Warden. Origine, natnre, progrès et influence du consulat.

(2) Depping. Histoire du commerce entre le Levant et l'Europe depuis les croisades jusqu'à la fondation des colonies d'Amérique, 2 vol. in-8°. Paris 1836. — tom II, p. 25. — Statuts de Marseille, éd. de Fresquet. I. 17.

(3) Charrière. Négociations de la France dans le Levant. Introd. p. LXVI-LXIX.

Græci προξένοι, qui suorum civium aut quorumdam advenarum utilitatibus inserviebant, sese, sub aliis nominibus, per totum imperium Romanum continuaverint. Quando igitur Mahumedi asseclæ Mediterranei maris littora suæ ditionis fecerunt, necesse fuit consules sinon crearentur ad saltem renovarentur. Quod eo facilius acceperunt Orientis reges quo minus eorum mores a tali institutione abhorrebant. Apud Seres enim Sarracenum consulem (1) et Hierosolymæ alterum Græcum invenire est (2). Haud tamen ignoro Sarracenorum scriptores ipsos non ire infitias quin considerent consules tanquam obsides potius quam suorum civium defensores ac patronos (3). Quis autem non fateatur illud negotiatoribus summo fuisse auxilio, scilicet ut in extremis regionibus nonnullos invenirent qui lingua uterentur patria, qui ejusdem religionis præcepta sequerentur, quique optularentur miseris?

Quod Karolini, et inter eos prœcipue Karolus Magnus, non neglexerunt. « Circa pauperes (4), scribit Einhardus, sustentandos et gratuitam liberalitatem, quam Græci vocant eleemosynam, devotissimus, ut qui non in patria solum et in regno suo id facere curaverit, verum trans maria, in Syriam et Ægyptum atque Africam, Hierosolymis, Alexandriæ atque Carthagini, ubi christianos in paupertate compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere solebat, ad hoc maxime regum transmarinorum amicitias expetens, ut christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio perveniret. » Haud secus ac hodie Russiæ imperatores, Karolus sibi per Orientem conciliabat animos christianorum non magnis impensis, et Franciæ auctoritatem per has penitus remotas regiones fundabat. Felices nimium ejus successores, si talibus semper institissent vestigiis !

(1) Klaproth. Journal Asiatique, t. V.
(2) Pardessus. Introduction I. 66.
(3) Khalil Dunkeri. Pardessus. Introd. I. 126.
(4) Einhard. Teulet I. 86. Cf. Sigeberti Chronic. 785. Bouq. V. 377. Guillelmus Tyr. I. 53.

De advenis negotiatoribus benigne per Franciam exceptis.

Illud autem, plus quam consularis institutio aut universa eleemosyna nostris negotiatoribus proderat, scilicet advenas in Franciam benigne exceptos esse. Eis enim, veluti civibus, leges vigilabant : non modo itinerantes qui ad palatium aut alio pergunt nemo adsallire debet (1), sed etiam gratuita viatoribus hospitalitas præbetur (2). Quinetiam nonnullis eorum privilegia haud aspernanda concedunt reges. Documento quadraginta et tres Hispani, quos Karolus Magnus contra suos missos in beneficiorum possessione confirmat. (3)

Documento quoque tria Ludovici Pii capitularia (4) pro aliis Hispanis, quos in privilegiorum confirmatione bis confirmavit « eo videlicet modo ut sicut Franci homines sint. » (5)

Angli quoque peculiaribus fruebantur beneficiis (6). Alii etiam, et remotissimi populi, haud secus excipiebantur. Syrorum gens, ante alias, sub finem sexti post Christum sœculi, Narbonam, Castraque Constantia, Burdigalamque mercium locos receptores possidebant (7), et, in Aurelianensi civitate jamdudum positi, Guntchramnum tanquam regem legitimnm considerabant. Quinetiam (8), Lutetiæ, Eusebius quidam negotiator genere Syrus, in locum Ragnaudi episcopi subrogatus, Syros ecclesiasticæ domui ministros statuit. Regnantibus Karolinis, quamvis documenta desint, id conjectura assequi queas, ut iisdem privilegiis ornati sint Syri. Nempe raro inter Franciam Syriamque cessabit commercium.

(1) Bal. I. 198, art. 17, cap. de 789.
(2) Supplex libellus monachorum Fuldensium Karolo imperatori porrectus, art. xiv. — Annal. Bened. II. 395.
(3) Bal. I. 499. — Bouq. V. 176.
(4) Bal. I. 569.
(5) Id. II. 1444. — 27 tit. VI, pro Hispanis.
(6) Id. I. 273. Bouq. V. 627.
(7) Vaissette. Histoire du Languedoc. I. 316. — Acta S. Bened. 2. p. 22. — Greg. Tur. VII, 31.
(8) Greg. Tur. X. 26.

De jure naufragii et de jure albenagii. (1)

Advenæ tamen quibusdam legibus parebant. Duæ præcipue, tunc temporis, increbuerant consuetudines, advenis contrariæ, quas recentiores legum latores aboleverunt nupperrime, neque adhuc per totam Europam, jus naufragii dico et jus albenagii.

Naufragorum bona abripere, eorumque infortuniis ditescere non modo legitimum apud antiquos sed etiam honestum evasit (2). Græci tamen, mitiores facti, mox id genus furti sunt detestati, adeo ut Euripides, omnium assensu, dicere potuerit :

Ναυαγὸς ἥκω ξένος, ἀσύλητον γένος. (3)

Romani quoque naufragos protexerunt, sicuti lex demonstrat (4) : « Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, pertineat ad dominos ; fiscus meus sese non interponat. Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur ? »

Mores autem, de solito, plus quam leges valuerunt, et nautæ ventis jactati terras plus quam mare timuerunt (5). Imo tempus mox adfuit quo reges non jam puduit tam turpium beneficiorum partem reposcere, nedum leges de tutela naufragorum ferrent. Annis enim MCCCCLXV et MCCCCLXIX reges Franciæ inter sua beneficia enumerant jus naufragii. Verisimile est igitur, regnantibus Karolinis, morem illum evaluisse, simulque floruisse artem odiosam eorum qui, mediis in procellis aut noctibus sub obscuris, nunc per littora nunc in scopulis fallacia incendebant signa, terræ aut potius mortis prænuntia.

(1) Reges nil antiquius duxisse videntur quam advenarum nomina ætatesque cognoscere. Cf. BAL. I. 450, cap. 3 (806) 4. — Id. I. 342. De ministerialibus palatinis (800) 2. « Ernaldus per mansiones omnium negotiatorum, sive in mercato, sive aliubi negotientur, inquisitionem faciat. »

(2) EURIPIDES. Iphigenia in Taurid. — Xénop. Anab. VII. 3, 5.

(3) EURIPIDES. Helena.

(4) PARDESSUS. I. 129. — Tit. III, lib. V. frag. V, sententiarum Pauli.

(5) CASSIODORE. Epist. IV, 7.

Haud aliter jus albenagii (1), scilicet jus fisci vel domini in bona decedentium advenarum, quamvis ab aliquibus consideretur tanquam justa hospitalitatis remuneratio, multis impedimento erat, quominus Franciam adirent. Quid enim iniquius quam advenarum divitias, ægre partas, fisci nomine vindicare sub titulo caduci ? Quid animos magis frangit quam tecum reputare fore ut morte subita abreptus, bona tua, legitime adquisita pueris transmittere nequeas ? Soli ideo suis inservierunt commodis reges illi qui jus odiosum aboleverunt, et advenis securitatem, sibi ac regno majorem peperere prosperitatem. Quis autem, regnantibus Karolinis, talia potuisset non dico intelligere sed suspicari ? Quum igitur advenas a littoribus arceant naufragii pericula, et ab interiore Francia timor mortis subitæ, non satis profecto mirari possumus si nonnulli sese tot periculis committere audeant.

(1) LAURIÈRE. Gloss. jur. vol. I. 89. — Instit. jur. consuet I. 81. PASTORET. Introd. t. XV, p. 23.



PARS SECUNDA

CAPUT I

De fructibus terræ

Fruges.

Antequam negotiatorum vestigiis insistamus, huc illuc varios naturæ humanarumque artium fructus ferentium, mihi necessitas incumbit enumerandi merces quas emebant aut venumdabant.

Neminem profecto latet homines nil antiquius ducere quam res quæ spectant ad alimoniam, ideoque negotiatores commercio rerum quæ vitam sustentant, et ante omnia commercio frugum, maximam daturos esse operam. Viatori Franciam hodie perlustranti apparent campi late culti, qui quidem denuntiant populum agrestibus operibus inservientem. Haud ita vero se res agebat regnantibus Karolinis. Solum enim vastæ silvæ tegebant, locis intermissæ desertis. Raro, circum urbes monasteriaque, aut in villis quibusdam, terra ferebat segetes, non vero abundantes. Ad nos enim pervenit Pippini, anno DCCLXXIV « constitutio generalis de lætaniis faciendis pro ubertate terræ » (1). Negotiatoribus igitur non licebat tali indulgere commercio.

At enim illud celebre Karoli Magni capitularium de villis septuaginta et quatuor plantas comparandis alimentis idoneas, imo plantas pro condimentis et medecina enumerat. Enumerantur quoque in breviario rerum fiscalium Karoli Magni viginti et sex herbæ hortulanæ (3). Quid plura ? Sunt Ein-

(1) BAL. I. 186.
(2) Id. 331. Cf. GUÉRARD, commentarium de hoc capitulario. Bibliothèque de l'École des Chartes, 3e série, t. 4.
(3) GUÉRARD, Polyptique d'Irminon, 304.

hardi epistolæ ad suos villicos, per quas eos docet vel minimas agrorum curas (1) : Florebat igitur agricultura. — Hæc autem unice regis aut possessoris villœ utilitati accommodata evadebant. Quisque pro se suisque, nunquam autem pro aliis, agros arabat. Nil igitur mirum si tam sœpe fames, ea tempestate, Franciam turbaverit, quamvis Karolini curaverint ne tale detrimentum caperet patria. Nequidquam enim præcipiunt « ut (2), in præsenti anno, de famis inopia suos quisque adjuvet, prout potest, et suam annonam non nimis care vendat, » nequidquam (3) severis afficiunt pœnis eos qui pani faciendo sunt obstaculo, molasque seu manuarias seu aquarias rumpere tentant ; nequidquam, una cum regibus, comites sacerdotesque pauperibus opitulari conantur : Fames adeo validæ desæviunt, ut multi pereant, imo nonnulli humana carne vescantur (4). Quæ quum ita sint, quum unicuique cura incumberet consulendi sibi suisque ne fame perirent, nullus commercio frugum, nostra tempestate adeo florenti, vacabat.

Arbores fructiferæ. et præcipue vitis.

Pomaria vero ea tempestate enumeranda sunt inter Franciæ divitias. Quod si enim capitulariis fidem facias, non modo omnes fructiferæ arbores, sorbarii scilicet, castanearii, avellanarii, amandalarii, morarii, fici, ceresarii, aliæque, sed etiam plurimæ ejusdem arboris genera exculta erant (5). Imo olitores artem inserendi ad id adduxerant ut hodie eos vix imi-

(1) Einhard. Teulet, II, 62-66.
(2) Bal. I. 199, decretale primum. — I. 454, cap. V. (806) 16, 17, 18. — I. 263, (794) 2. — I. 467 (809) 24.
(3) Id. I. 296, lex Salica renovata, 2, 3. 4.
(4) Bouq. V. 69, 70, 26· Dies me deficiet enumerare si velim quoties fame oppressa fuerit Francia. Cf. Bouq. VII, 52, 245, 248, 249, 196, 292, 218. — VIII. 63, 67, 163, 173, 178, 180, 187, 361, 254, 207, 208, 223, 229, 266, 267,, 274, 275, 276, 233, 234, 235, 236, 248, 250, 252. — IX. 79, 17, 34, 16, 91, 94, etc. Cf. Einhard. Teulet, II, 342.
(5) Bal. I. 342. De villis 70, Cf. Guérard. Bibliothèque de l'École des Chartes, 3ᵉ série, t. 4. — Pro malis, verbi gratia, gormaringua, geroldinga, crevedella, spiranca, dulcia.

tari valeamus : quippe qui in uno quercus trunco duodecim varias insererent arbores (1).

Inter fructiferas arbores duæ, nostro tempore, florent, quæ agricolarum divitias quotannis augent, olea scilicet, vitisque. Regnantibus autem Karolinis, seu per bella, seu per incuriam, raræ erant oleæ. Quamvis leges barbaræ (2) oleas resecari scelus haberent, fere omnes in meridionalibus regionibus perierant, adeo ut concilium Aquisgrani dederit sacerdotibus licentiam utendi (3) lardo pro olea.

Quod ad vites attinet, non modo abundantes florebant haud secus ac hodie, sed etiam colebantur in regionibus, quas non jam ditant. In Neustria scilicet Fontanellense monasterium (4) « montibus arduis ac frugiferis Bacchique fertilissimus obsitum erat... monstrantur nunc usque arbusta in latere montis ac vitiferœ arbores quas abbas Milon plantavit, et, dum philosopharet, excoluit. Haud procul a Gemedio abundabant vinearum botriones qui in turgentibus gemmis lucentes rutilant in falernis » (5). Item situs monasterii S. Leufridi erat aquarum nemorumque ac vinearum fertilitate jucundus » (6). In Franciæ provincia quoque, prope Lutetiam, florebant vina quæ Baccius, sexto decimo sæculo, laudabat veluti jamdudum nullis secunda Gallicis vinis (7).

Vina autem, quæ et hodie magni ducunt homines docti palati, jam illustria fiebant. Pardulus episcopus Laudunensis in epistola ad Hincmarum Remensia vina celebrat (8). Gregorius Turonensis (9), quamvis Latiana et Gazetina pluris faciat vina, non dedignatur tamen montes uberrimos Divionis, repletos vineis « tam nobile incolis falernum porrigentibus ut respuant falernum. » Memorat quoque propter vino-

(1) Delisle. Etudes sur la condition de la classe agricole en Normandie au moyen-âge, p. 497.
(2) Lex. Visig.
(3) Labbe. Sacrosancta concilia. t. xxi, p. 26, (817).
(4) Luc d'Achery. Spicilegium, chronic. Fontan, III, 190.
(5) Bollandistes, Aug. IV. 76.
(6) Neustria pia 348.
(7) Baccius. De naturali vinorum historia libri septem ed. 1596, p. 358.
(8) Hincmarus, II. 858.
(9) Greg. Tur. III. 19. — VII, 30, 46. — De glor. conf. 97.

rum abundantiam Aureliæ, Matisconis et Cadurci regiones. Vinorum igitur et copia et virtus negotiatoribus divitiis esse debebant, adeo ut vites morbo laborantes, tanquam publicam calamitatem, enumerent scriptores (1). Quam quidem Karolini nunquam obliti sunt culturam (2). « Ut judices nostri, ait Karolus Magnus, vineas recipiant nostras, et ipsum vinum in bona mittant vascula, et diligenter providere faciant quod nullo modo naufragium sit. » Franci vero, haud secus ac Galli, vinum colere non contenti, vino quoque inserviebant, sicuti apparet e severis et irritis in ebrios capitulariis (3).

Silvæ.

Galliam (4) olim fere totam silvæ tegebant densissimæ, majoresque nostri, velut Americæ Oceaniæve coloni, domos et urbes mediis in saltibus œdificare solebant. Quando vero Romani Galliam fecere suam, fere omnes silvæ deletæ sunt, ut extenderentur latifundia. Multis post sæculis, monachi sese confugerunt in ultimas penitusque remotas partes silvarum, S. Fiacrus verbi gratia et S. Sequarius in Burgundia, S. Imierus in Rauracia, S. Lannomarus in Pertica, et Maglorius in Armorica, discipulisque congregatis, plurimum valuerunt ad silvas cœdendas (5). Regnantibus igitur Karolinis vix nonnullæ ex antiquis silvis supererant : quas enumerat Karolus Calvus in capitulario anni DCCCLXXVII, videlicet Karisiaca (6), silva in pago Suessionensi, Seliaca, Salmotica, Causia, Andriaca, Verberia, Attiniaca, Astenidaque, partes famosæ illius Arduennæ silvæ cujus fit sœpe mentio apud antiquorum scriptores chronicorum (7). Non procul a

(1) Bouq. V. 170. Poet. Sax. IV, 254.
(2) Bal. I. cap. de villis, 8.
(3) Id. I, 373, 393, 473, 495, 855.
(4) A. Maury. Forêts de France dans l'antiquité et le moyen-âge. Mémoire présenté à l'acad. d. Inscript. 1860.
(5) Bolland. XX. Aug. 606. — Act. ord. S. Bened. t. I, vita S. Sequani 7, 8. — Montalembert, Moines d'Occident, II, 343. — Marténe. Thesaurus novus anecdotorum, II. 347, 348.
(6) Bal. II, 268 edict. Carisiacum, 32.
(7) Annales Francorum An. 802, 804, 813, 819. 822, 823, etc.

Rheno nominanda quoque erat silva Vosagum cum Aquisgrani et Aristalli lucis.

Has omnes silvas conservare voluerunt Karolini (1), quippe quæ fructuosæ essent, si saltem credas epistolæ Hadriani papæ ad Karolum Magnum (2) : Quod prorsus per se optimum, quamdiu silvæ non in campos invadunt. Mox autem per totam Franciam, propter bella continua civiumque raritatem, in locum segetum succedent silvæ, quæ quidem non jam divitiarum sed miseriæ paupertatisque causæ evadent.

Animalia.

Genus arbustorum quale fuerit notum est : transeamus nunc ad genus animalium.

Inter animalia, de quibus tunc temporis exercebatur commercium, nullum prorsus magis necessarium magisque dilectum exstat quam equus; adeo ut pars gentis quæ, honores adepta, soli et hominum unica domina mox erit, equitum nomine glorietur. Villarum igitur possessores summopere curabant ut haberent sibi equos nobiles in suis campis natos et nutritos (3).

Quæ vero genera equorum tunc majoris pretii ducerentur non habemus pro comperto. Illud autem animadvertendum est, scilicet a Sarracenis, qui Franciam toties invaserant, propagatos equos illos Camariæ, cervice elato, cauda longa, pilis candidis, adeo similes Arabicis equis, quorumque virtutes jamdudum noverant Franci.

Boum autem taurorumque et vaccarum, qui tantum agris colendis prosunt, tantumque alimentis nostris conferunt, ex omni tempore magna fuit multitudo. Pauca ideo de illis habemus documenta. Karolus (4) Magnus tamen vaccaritias in

(1) Bal. I. 333, de villis. 36, cap. 5, (817) 7, « ut silvæ vel forestes nostræ bene sint custoditæ, et, ubi locus fuerit ad stirpandum, stirpare faciant, et campos de silva increscere non permittant, et, ubi silvæ esse debent, non eas permittant nimis capulare atque damnare. »

(2) Bouq. V. 509.

(3) Bal. I. De villis, 13-14.

(4) Id. 23.

unaquaque villa esse vult. In Neustria, haud secus ac hodie, propter graminum qualitatem curasque bubulcorum, genus boum per lippam celebre a nono sæculo crescit. In pago Baiocassino quoque episcopus quidam, Aldricus, pecora boum habebat enormia (1). De his autem nil amplius.

Haud aliter pro ovibus, pro capris, ceterisque pecoribus. Karolus Magnus tamen judicibus villarum berbicaritias, capraritias, hircaritiasque commendat (2), Robertusque archiepiscopus Rotomagensis (anno DCCCCLXXXIX) oves in pratis salsis claras per exquisitam carnem possidebat (3).

Porci quoque ex omni tempore Franciam ditaverunt. Strabo (4) nos docet Gallos alere et vendere porcos delicatissimos, quippe qui abundanter quercuum fructibus vescerentur. Horum numerus adeo crevit (5), ut caput legis Salicæ specialiter de furtis porcorum latum fuerit. Karolus Magnus (6) judicibus villarum præcipit ut « habeant porcaritias... quantum plus potuerint. » Omnia denique chartularia enumerant numerosa porcorum pecora. Verisimile igitur ex his stetisse majorem partem publici nutrimenti, ideoque de his commercium maximum exerceri.

Quod ad chortes attinet, non modo numerosæ sed etiam variis avibus refertæ erant. Hodie forsan, et in ornatissimis chortibus, non invenias aves, quos Karolus Magnus (7) suis ministris villarum commendabat, etlebras scilicet, phasianos, enecas, columbas, perdices, turturesque; pullos et gallinas quoque, quorum ova vendere debebant mansionarii, et aucas, vetus hoc Gallorum animal; raro autem anseres qui inter genera agrestia semper enumerantur.

Non est quod prætereamus falcones qui jam in honore erant. Nempe Karolus Magnus falconarios ad venandum habebat, quos in ordine palatii Hincmarus nominat inter

(1) Et hodie vocantur aumailles. DELISLE, op. cit. 233, 236.
(2) Cap. de villis 23.
(3) DELISLE, p. 240.
(4) STRABO. IV, 4, 3.
(5) Lex Salica. II, 19.
(6) De villis, 23.
(7) Art. 39.

regis ministros, leges que mulctam irrogabant ei qui rapuerat accipitres aut sparvos (1).

Lex quoque protegebat apes. « Si quis apium deintra clave aut sub tecto furaverit, mille octingentis denariis culpabilis judicetur, excepto capitale et delatura (2). »

Sunt quoque enumerandi canes inter animalia de quibus fiebat commercium. Canum enim genus ferox alebatur, qui apros ursosque lacessebant, eosque interdum vincebant. Sangallensis monachus (3) narrat canes hujusce generis, quos Karolus Aaron regi Persarum dono dederat, primo viles et ignobiles ductos, mox admirationem in se convertisse, pugnando fortiter cum leonibus, eosque vincendo. Talibus fidentes animalibus imperator ejusque filii sese per silvas immittere cumque feris collato pede dimicare audebant (4). Alii quoque, minus robusti, sed pariter in honore habiti, non deerant canes, velter leporarius videlicet, cujus agilitatem lex Salica extollit. Quæ quidem testantur a Francis non dedignatam fuisse artem venandi (5).

De piscibus.

Verumenimvero ante alias artes ars piscatoria tunc floruisse videtur non modo per maria sed etiam per fluvios lacusque. Omittenda prorsus Æliani fabula, qua Celtæ suis equis dare pisces pro alimentis dicuntur. Id tamen manifestum apparet, Galliam ex omni tempore propter pisces delicatos claruisse (6). Documento sint thunni ab Oppiano, muli Lateræ prope Nemausum a Plinio (7), percæ et ostra Burdigalensia ab Ausonio (8), pisces Lemani lacus a Gregorio Turonensi laudati : Fercula exquisita profecto, sed non omnibus prompta. Haud ita quidem pro quibusdam piscibus quos ven-

(1) Bal. I. 138. Lex Baiorum, XX, 1, 4.
(2) Bal. I. 282. Pactus legis Salicæ renovatæ (798).
(3) Bouq. V. 126. M. S. Gall. II, 14.
(4) Schæpflin. Alsatia illustrata, 821, 825, 831.
(5) Cf. Lex Salica, VII, 23, de furtis canum.
(6) Oppianus III, 380.
(7) Plinius H. N. IX, 30.
(8) Ausonius. Ordo nobilium urbium.

debant aut recentes, aut salsos, aut in vivariis servatos. Quod lucri genus et reges (1) et privati exercuisse videntur : passim enim per capitularia aut charlutaria vivariorum mentionem invenire est.

Pisces ergo, ceu numerosiores erant, ceu homines ea tempestate non dedignabantur genera hodie vilia, marinos scilicet porculos aut cete (2), alimenta multo magis ac hodie subministrabant, ideoque negotiatores artem piscatoriam inter maximas vitæ commerciique necessitates habebant.

De servis (3)

Aliud florebat commercii genus, servorum scilicet, quos tanquam bestias aut viles naturæ fructus pleraque pars hominum tunc ducebat. Non defuere profecto qui tali commercio sese fortiter opposuerint, sed frustra ; semper enim necesse evadebat reges ferrent leges ut servorum miseriæ lenirentur. Quinque (4), regnantibus Karolinis, exstabant servorum genera, primum scilicet eorum qui a patre et matre servis, secundum eorum qui a patre ingenuo serva autem matre nati erant, tertium eorum et quidem paucissimorum qui semetipsos libertate privabant, quartum puerorum a parentibus venumdatorum (5), quintum servorum in bello captorum, seu mancipiorum, quæ victores inter se dividebant, summisque vexabant contumeliis. Imo tanta fuit malæ consuetudinis corruptela ut ipsi homines liberi in

(1) Bal. I. 334. De villis 21-65. « Vivarios in curtis nostris unusquisque judex habeat, et, si augeri potest, augeat, et, ubi antea non fuerint, et modo esse possunt, noviter fiant. » — « Ut pisces de vivariis nostris venumdentur, et alii mittantur in locum, ita ut pisces semper habeant ; tamen quando nos in villas non venimus, tunc fiant venundati. »
Cf. Depping. Expéditions des Normands, II, 240.

(2) Bal. II. 344. « Quod si homines abbatis piscem qui vocatur turium capiant, totus erit S. Michaelis. Crassus piscis si captus erit, ala una et medietas caudæ erit monachis. »

(3) Revue archéologique, 1864, p. 435, Le Blanc. Sort des captifs.

(4) Guérard. Polyptique d'Irminon, 1, 277.

(5) Bal. Cap. Auség. VI. 4. « Si quis vendiderit filiam suam. » — II. 174, éd. Pist. 24 : « In lege quam predecessores nostri..... constituerunt de his qui filios suos, fame ant aliqua necessitate urgente, vendunt, plura habentur capitularia, quæ omnia hic non necesse duximus ponere. »

servitutem interdum essent reducti a potentioribus. Documento sint quinque Ludovici Pii chartæ, per quas reddit libertatem hominibus quos comites aut alii missi injuste detinebant (1). Servi igitur, seu Franci, seu alienigenæ, nil aliud erant quam res viles, ideoque materiam prœbebant negotiatoribus.

Enumeratis omnibus arbustorum aut animalium generibus, de quibus in Francia tunc fiebat commercium, mentem ad metalla advertamus.

De metallis.

Strabo (2) nos docet apud Tarbellos in fossis non alte ductis reperiri laminas auri manum implentes exigua cum repurgatione, aurum quoque in Cebennis et in Pyrenæis montibus, apud Tectosages, Rutenos, Gabalesque. Quod ad argentum attinet, quamvis Diodorus nullum omnino argentum effodi significet (3), Plinius tamen (4) argentum Galliæ laudat. Regnantibus Karolinis de his metallis nil tale refertur a scriptoribus, neminemque latet nil hodie superesse simile. Transeamus igitur ad utiliora metalla, plumbum, stannum, et cuprum. Quum Dagobertus (5) (anno DCXXXV) monasterio S. Dyonisii quatuor mille libras plumbi concesserit, ut ecclesiæ tecta renovarentur, nonne illud diploma testatur venas plumbi tunc exstitisse ? Haud aliter pro stanno : Exstant enim litteræ (6) Adriani papæ ad Karolum Magnum quibus copiam stanni efflagitat : « pro ipsius aulæ S. Petri tecto V. Excellentia nobis est pollicita dirigere stanni libras mille : simili modo et Itherius alias mille libras dirigere promisit, pro quo petimus... ut ipsum stannum nobis dirigere jubeatis. »

(1) Bouq. VI. 655-8. 43, 44, 48, 49, 50.
(2) Strabo. III. 2, 8. — IV. 1, 13. — 2, 2. — 3, 1. Cf. Cod. Théod. X, 19, 9. — I, 5, 6, 7.
(3) Diodorus. V. 27.
(4) Plinius. XXXIII, 23.
(5) Hœfer. Histoire de la Chimie. I, 352.
(6) Bouq. V, 509. Epistola. 27.

Metallorum tamen fodinæ ea tempestate, seu per inertiam, seu potius per terrorem derelictæ fuerunt. Tunc enim terribiles de metallorum dæmonibus vulgabantur historiæ, quarum memoria tamdiu permanebit, et hactenus non omnino evanuit (1).

Quod si de metallis transierimus ad materias quas solum gignit, sal tam utile tamque necessarium inveniemus. Semper enim exstiterunt salis fabricæ propter littora Mediterranei maris, quas significare videtur capitularium Karoli Magni, cujus titulum unice conservavimus (2). « De terra in littore maris ubi salem (3) faciunt. » Naves, quæ Rhodanum ascendebant, inde salis copiam secum ferebant, si chartulario S. Victoris Massiliensis credimus (4). In Neustria quoque documenta nominant (5) « quatuor salinas apud Huneflotam, unam apud Butellas, alteram apud Girafrevillam.

Alia erat materia, margam dico, cujus usus a Romanis (6) usque ad Karolinos vulgatus, mox obsolevit ut nostra tempestate renasceretur (7). In capitulario enim Pistensi legimus : « Ut illi coloni qui antiqua consuetudine debent et margilam, et quæque carricare quæ illis non placent, renuunt, quoniam adhuc in illis antiquis temporibus forte margila non trahebatur, quæ in multis locis tempore avi ac domni, et nostri patris trahi cœpit... quidquid eis carricare præcipitur de opere carropera, quando illam facere debent, sine ulla differentia carricent. » Illud vero præcipue margæ extractionem non sine momento fuisse demonstrat, scilicet quod nomina vicorum aut pagorum e marga extracta supersint. Solum modo in Neustria enumerandi sunt Marneria (8), Marneria de Falvelon (9), abba Marneria (10), Marleria Tibaut (11), Marnieres (12).

33 n 5

(1) Hœfer id. I, 350, laudans Garrault, Mines d'argent trouvées en France. Paris, 1579.
(2) Bal. I. 576 Anség. IV, 8. — (3) Sic.
(4) Cartulaire de Saint Victor. Introd. p. li. IX. X.
(5) Neustria pia. Depping op. cit.
(6) Plinius. XVII, 4.
(7) Bal. II. 188.
(8) Delisle, p. 266. Oissel. — (9) Bonneville. — (10) La Putenare. — (11) Feugnerolles. — (12) Commune du canton de Rugles.

Quæ quum ita sint, res omnes quas natura creat, et de quibus exercetur commercium, recensuimus. Restat ut res easdem artibus hominum elaboratas mutatasque exponamus.

CAPUT II

Societates.

Artes in Francia, regnantibus Karolinis, quæ fuerint exponere, res prorsus ardua : Ex quo enim Barbari Galliam fecere suam, nulla remansit e fabricis opificium quas memorant et codex Theodosianus et notitia dignitatum (1). Id solum animadvertendum est, societates opificum a Romanis formatas duravisse, quippe quæ privatorum commodis niterentur, ideoque firmarentur. Quas quidem societates, regnantibus Karolinis, nunquam claruisse fateor : attamen quin exstiterint minime dubium. Etenim quotiescumque posteriores reges privilegia confirmaverunt unius alteriusve societatis, eam declarabant perantiquam. Ludovicus Junior, (anno MCLXX), de mercatoribus aquœ Parisiensis dicebat : (2) « Cives... nos adierunt rogantes ut consuetudines suas, quas tempore Ludovici regis patris nostri habuerunt, eis confirmaremus : consuetudines autem eorum tales sunt ab antiquo. » Haut aliter de carnificibus quorum societas, olim prœpotens, nuperrime florebat adhuc, rex idem (anno MCLXII) : « longo tempore carnifices quasdam antiquas habuerunt consuetudines..... nos adierunt, suæque miseriæ

(1) Cod. Théod. X 22. De fabricensibus. 19, de metallariis. 20, de murilegis, gyneciariis, monetariis et bastagariis. 23, de classicis. XIII 5, de naviculariis, etc. — BOUQ. I, 126. Cf. LEVASSEUR. Hist. des classes ouvrières en France, t. I, p. 53, s. q. q.

(2) FÉLIBIEN. Hist. de Paris. Pièces justificatives 1 et 3, relatives à la dissertation sur l'hôtel-de-ville.

pondus exposuerunt..... itaque revocavimus in civitatem nostram Parisiensem antiquas consuetudines carnificum, eisque omnino et integraliter reddidimus. » Denique, quando Stephanus Bolæus in unum corpus coget usus mercatorum, eorum societates plerumque antiquissimas declarabit (1).

Ceteroquin, in chartis et diplomatibus Karolinorum, nonnullas invenire est memoratas societates, arcariorum scilicet, arbalestariorum, merceriorum, alatariorum etc. (2) Karolus Magnus in capitulario de villis fabros ferrarios, aurifices, argentarios, sutores, tornatores, carpentarios, scutarios, siceratores aliosque enumerat (3). Societates igitur opificum tunc temporis florebant cum suis ducibus privilegiisque suis. Quod si autem documenta eas raro memorant, nil prorsus mirum : nempe societates, ab omnibus cognitas, nullus nominabat.

Gynecia.

Non autem soli artibus vacabant opifices qui societates inter se conjunxerant; erant gynecia quoque. Ita vocabantur olim textrinæ publicæ, in quas feminæ noxiæ et condemnatæ ad opus lanificii exercendum conveniebant (4). Karolinis regnantibus gynecia non solum continebant feminas noxias sed etiam servias, eaque reges ac proceres imo episcopi et abbates habebant. Quibus laboribus incumbebant feminæ capitularia denuntiant (5). « Item feminæ opera textrilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuent. nec acupictile faciant, nec lanam carpere, nec linum battare, nec in publico lavare vestimenta, nec berbicas tondere habeant licitum... die dominica, » et aliter (6) : « Ad genicia nostra,

(1) Livre des métiers. Passim.
(2) CANGIUS. Glossarium mediæ et infimæ latinitatis, éd. Henschel, passuis. Cartulaire de l'Abbaye de Redon, p. 383.
(3) BAL. I, 335, cap. de villis, 45.
(4) JOHAN CHRYSOSTOM. ep. ad. juniorem viduam. LACT. De mort. per. § 21. — Isid. Sev. XV, 6.
(5) BAL. I, 212, cap. Aquisg. (789) 80. Cf. GUÉRARD. Polyptique d'Irminon, 618, 622, prolég.
(6) BAL. De villis ut sup.

sicut institutum est, opera ad tempus dare faciant, id est, linum, lanam, waido, vermicula, warantia, pectinos, laminas, cardones, saponem, unctum, vascula vel reliqua minuta etc. »

Variis igitur operibus se dabant in gyneciis feminæ, adeo ut fere totæ husjuce temporis artes in eis constarent. Sese dabant quoque libidinum intemperantiæ : nempe gynecia sicuti luparum sedes memorantur in chartis hujusce temporis (1). Quod si vero gynecia quasi refugium præbebant feminis, quæ, sub specie laborandi, lasciviebant, nunc transeundum est ad austeras domos, fabricas dico aut in monasteriis aut circum monasteria sitas.

Monasticæ Fabricæ.

(2) Omnibus profectæ notum est monachos secundum regulam S. Benedicti tam corporis quam mentis operibus inservire. Regnantibus igitur Karolinis, monachi sese dederant studiis ad intellectum pertinentibus, nedum antiqua neglexerint instituta : Namque cum eis vivebant, quamvis regulæ monasticæ non omnino participes, opifices in varias distributi fabricas. Documento sint monasterium Solignacense ubi « (3) artifices habentur plurimi diversarum artium periti, qui..., semper ad obedientiam sunt parati, » et præcipue Centulense monasterium, ita, Angilberto abbate, dispositum, ut artes omnes et opera necessaria intra loci ambitum exercerentur (4). Aqua enim rivuli Scarduonis, medium prœterfluens claustrum, ibidem farinam molis terebat. Deinde oppidum ipsum varias artificum prœbebat regiones seu vicos, veluti totidem monasterii officinas, quæ monachis variam supellectilem variasque species ad certum numerum subministrabant. Vici enim enumerandi

(1) Cangius op. cit. v. gynecium. — Cf. Bal. II, 336. — Guérard op cit. 622.
(2) Levasseur. Histoire des classes ouvrières en France. I, 129.
(3) Vita S. Eligii, 16.
(4) Annal. Bened. t. II, p. 331 (798).

erant fabrorum qui ferramenta, scrutariorum qui operimenta librorum, sellariorum qui sellas equorum, pistorum qui certum panum numerum, sutorum qui calceamenta famulorum, lanistarum qui sagimen, fullonum qui filtra, pellificum qui pelles, vinitorum qui vinum et oleum, cauponum qui cervisiam fabricabant. In specialem vicum admittebantur advenæ negotiatores. Monachis igitur. Centulensibus (1) prompta rante omnia intra domum. Plerumque vero circa eorum sedes sitæ erant fabricæ opificum, certis religionis cærimoniis certæque disciplinæ adstrictorum, et solum pro monasterio laborantium. Ita sensim, opificum familiis collectis, veræ urbes aut creabantur aut renovabantur ; exempli gratia Abbatisvilla, Redones, Trecorium, Sancti Brioci fanum, et, in universum, fereomnes civitates, quæ sub invocatione sancti cujusdam fundatæ fuerunt : quemadmodum nostra tempestate magnas urbes fere subito exsurgentes et crescentes videre est prope fabricas (2).

Tales ergo loci erant ubi aut opifices societate inter se conjuncti, aut feminæ per gynecia dispersæ, aut opifices qui monachis serviebant, varias exercebant artes. Restat ut dicamus quales essent artium fructus.

De artibus quæ spectant ad alimenta.

Pauca quidem husjuscé temporis exstant documenta e quibus conjecturas ducere queas de artibus ad alimenta pertinentibus. Duo tamen ex omni tempore floruisse videntur, salsamenta scilicet potionesque.

Ex quo enim Varro (3) Galliæ pernas, romaninas, laniacas et petasiones, postque eum Strabo (4), Sequanica laudavere salsamenta, carnes salsæ nunquam fuerunt sine nomine apud

(1) Cf. Guérard. Polyptique d'Irminon, p. 410.
(2) Documento sint Le Creuzot, Decazeville, Indret, Roubaix, Turcoing, etc.
(3) Varro. De re rustica II, 4.
(4) Strabo. IV, 3, 2.

nos. Regum diplomata episcoporumque ac monachorum chartularia non semel de porcis servandis, pernisne conficiendis loquuntur (1).

Pisces salsi quoque non inglorii erant]: Nil profecto de hac re certum habemus : Quum vero non ignoremus Romanos maximi pretii facere garum et muriam Massiliæ, quumque et hodie ejusdem littoris urbes thunnos, encrasicholos, sardinasque sale obruunt, non est quod dubitemus easdem artes tunc pariter non floruisse : Raro enim aut potius nunquam pereunt artes ad locum, ut ita dicam, et præcipue ad quotidianæ vitæ usus spectantes.

Quod magis apparebit si potiones potionumque præparandarum modos enumeraveris. Etenim non contenti suis vinis, fabricabant vina mixta odoramentis, quæ jam in urbe Narbonensi Plinius (2), Gregoriusque Turonensis (3) laudaverant; fabricabant quoque vina cocta, similia colorum gustuumque vinis Cypri insulæ, quæ et hodie apud Meridionales Francos pluris fiunt.

Cervisiam, ceu eam voces cum Plinio cervisiam (4), ceu zythum cum Diodoro (5), conficiebant Franci, ejusque usus invaluerat; nempe Karolus Magnus jubet uti villarum judices fabricas cervisiæ habeant (6), inque chartulariis nuperrime editis legimus uti cervisiam monachi nunc ex hordeo aut zea, nunc e frumento aut avena componebant. Cervisia præcipue utebantur agricolæ, usque ad sæculum undecimum, sicuti demonstrat epistola Balderici Burgellensis ad Willelmum Lisinensem : (7)

> Si vero quæras quo gaudeat incola potu,
> Potu plus gaudet quam cocta popinat avena.....
> Ipse mihi dixit Lisols quia nescia vini,
> Coctas potat aquas, et aquis immiscet avenas....

(1) Legrand d'Aussy. Histoire de la vie privée des Français. 3 vol. in-8°, t. II, p. 223.
(2) Plinius. H. N. XIV, 7.
(3) Grég. Tur. VII, 29.
(4) Plinius. XVII. 82.
(5) Diodorus. V, 26, 2.
(6) Bal. I. 335, de villis, 45.
(7) Delisle, op. cit. 480.

Hujus vero liquoris e malis expressi quem nostri *cidre* vocant, nullus prope erat usus. Karolus (1) Magnus, fateor, volebat in villis « siceratores, i, e, qui cervisiam, vel pomaticum sive p'raticum, vel aliud quodcumque liquamen ad bibendum aptum fuerit; » tali autem uti potu durum ac austerum habebant auctores vitarum sanctorum : Potum quoque, ait unus ex eis, cum amaritudine sumebat. Nullum enim omnimodis liquoris uvæ, neque mellis, neque lactis, neque cervisiæ sumpsit, potus autem ejus talis erat qualis ex aqua et arborum succis malorumve agrestium audiri potest. (2) »

Quæ quum ita sint, salsamenta præcipue seu carnium seu piscium, fabricatique liquores in honore erant apud Francos. Non est tamen ut omittamus caseos, quorum fama a Romanis usque ad nos permansit. Romani enim (3) magni ducebant caseos Nemausi montisque Lesoræ, qui, fumo plantarum aromaticarum expositi, ad id bonitatis perveniebant, ut sapiens imperator ille Antoninus talium caseorum nimia copia sit mortuus (4). Forsan et tales caseos episcopus quidam Karolo Magno ministraverat, qui cibi suavitate adeo delectatus est, ut jusserit episcopum mittere quotannis Aquis granum duo caseorum capsas (5). Francia igitur, ex illo tempore, pretiosis abundabat cibis, et ab omnibus jam diligebatur, ut ita dicam, qui gulæ dediti erant.

De artibus quæ spectant ad vestitum.

Nulla prorsus alia necessitas, præter alimenta, hominibus magis incumbit, quam induere corpus vestibus, per quas frigus aut solis ardores arceant. Inde magnum pondus artium quæ spectant ad vestitum. Verumenimvero, quum omnibus sit opus vestitu, quumque alia parte vestitus cum tempore

(1) Bal. ut. sup.
(2) Lobineau. Histoire de Bretagne, II, 25. Vita S. Guingalei.
(3) Plinius XI, 41.
(4) Legrand d'Aussy op. cit. II, 302.
(5) Monachus. S. Gallensis.

mutetur, haud facile quidem dicere quæ fuerant, regnantibus Karoliniis, artes ad vestitum pertinentes.

Quod si autem rara dispersaque documenta investigemus, populi vestitus non nobis videbitur abhorrere multum a vestitu agricolarum Gallorum sub Cæsare, aut a vestitu nostrorum. Nempe in braccis consistit, quibus induebantur crura, inque casula, quæ corpus tegebat. Super casulam erat sagum e panno tenuis aut spissæ texturæ, variisque coloribus. Quibus vero in locis fabricarentur casulæ et saga incertum.

Franci tamen, quamvis in omni victu sese Gallorum moribus accommodavissent, suas proprias servavere vestes usque ad tempus sanctorum in Sarracenos bellorum. Quas vestes, nobis in æternum per columnam Trajanam notas, ita describit monachus Sangallensis (1). « Calceamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolæ crurales vermiculatæ, et subtus eas tibialia vel coxalia linea..... ultimum habitus erat pellium canum vel saphirinum quadrangulum duplex, sic formatum, ut, cum imponeretur humeris, ante et retro pedes tangeret. » Cujus patrii vestitus ita studiosus erat Karolus Magnus ut rideret proceres purpuratis aut sericis indutos vestibus. Sed interdum necesse erat imperatoria indueret ornamenta, quando Romam petebat, aut legatos aliorum populorum excipiebat (2).

Quod si autem raro neque sponte ita vestitus incedebat, non ita prorsus ejus nati proceresque dedignabantur elegantiæ subtilitates. Lepide narravit monachus Sangallensis ut sericas eorum vestes tæniasque delicatas pluvia ventusque corruperit. Suis quoque filiabus indulgere debuit, quæ ferebant nunc ferrugineas, nunc luteas vestes, nunc strophia lacteola rubraque et melocineos amictus et velamina purpureis filis (3). Unde vero tot talesque venirent vestes incertum. Pretiosissimæ, ut videtur, e remotissimis Orientis regionibus, multæ etiam ex ipsa Francia : Illud etiam notandum, ex omni tempore floruisse artem tingendi. Sœpe in capitula-

(1) Bouq. V, 121.
(2) Villermin pl. 26. — Bouq. V, 178. Anon. Sax. V, 341.
(3) Bouq. V, 417, ex Theodulfo. — Anon. Sax. V, 391.

riis (1) enumerata warantiam aut galdum aut isatidem, inque chartis (2) rubium, brasilum, indi, rusium, verdetumque. Quæ profecto denuntiant artes non mediocres.

De vestium fabricis fere nulla habemus documenta. Atrebatum tamen civitas, quæ, sub imperio Romano, pannos delicatissimos una cumLaodicæa fabricabat (3), ea tempestate videtur prioris famæ vestigiis institisse. Haud secus S. Victoris Massiliensis chartularium (4) enumerat Narbonensis, Provinciæ, Avenionisque fabricas. Nil quoque habemus de fabricis manteliorum laudatorum a Q. Nigello et ab Ansegiso in regulis monasterii Fontanellensis. Quod attinet ad pelles, agricolæ prorsus, qni quidem coriis vix pulvere querneo infectis tegebant humeros, opificum artes dedignabantur; proceres vero non item, qui summa impensa pretiosas acquirere pelles conabantur. Inde divitiæ et auctoritas societates pellionum, quæ mox ad id potentiæ ascendit, ut, tredecimo sæculo, una esset e sex corporibus fabrorum Lutitiæ (5).

Enumeremus etiam plumarios qui nunc acu pingebant, nunc plumas in variis vestibus illigabant, quique summa elegantia et subtilitate nunc vela splendida, nunc chlamydes componebant : Documento sit velum a Karolo Calvo datum ecclesiæ cathedrali Carnutum, et in ea hactenus servatum (6).

Quod si autem tales ea tempestate florebant artes, duæ aliæ, saponum scilicet et unguentorum, quæ sub Romanis nomen habuerant, omnino in deterius lapsæ fuerant. Plinius enim (7) saponem in Gallia oleo et cinere factum, quo utebantur Romani ad rutilandos capillos aut lavandum corpus, nos docet. Strabo (8) quoque unguenta laudat provinciæ Narbo-

(1) Cf. Recueil des monuments du Tiers-État. II, 25, 93. III, 587, pro galda Ambianensi.
(2) Cartulaire de S.Victor de Marseille. IV, I. V, I. VII, 3. IX, 4, 5. XII, 26, 35.
(3) Bouq. I, 541. — Treb. Poll. Gallienus 78.
(4) Ut supra. IV, I, — V, 3. — VII, 5. Cf. Plinius VIII, 73, 74.
(5) Cf. Livre des métiers.
(6) Villermin op. cit. pl. 16.
(7) Plinius XVIII, 12.
(8) Strabo.

nensis. Hodie, in eadem regione, has artes rursus floruisse, nullus est nimirum qui nesciat : Nil vero mirum si Franci rudes illi Galliarum victores, talibus materiis non jam usi fuerint, quippe qui delicias munditiæ parum curarent.

De artibus quæ spectant ad domos.

Franci quoque parum curabant domus commoditates. Si enim ecclesias, plaatiaque reguum et castella procerum excipias, domus tam in agris quam in civitatibus nil aliud erant quam tuguria e ligno lutoque paléato constructa ad summam soli superficiem, sicuti ea jam depinxerant J. Cæsar, Julianusque imperator. Inde supellectilis raritas et inelegantia, quæ hodie tam vulgata exquisitaque est. Inde nullæ fere artes quæ spectant ad domos (1).

Est tamen ut lignarios fabros indicemus, quorum opera tunc temporis adeo necessaria evadebat; ædiumque tectores, qui ecclesias plumbo delicate elaborato tegebant (2). Ars altera jam tunc florere incipiebat, qua superbit hodie, neque immerito, Francia, artem dico vitreorum. In ecclesiis præcipue vitri usus erat communis : Gregorius enim Turonensis narrat latronem sub noctem in ecclesiam penetravisse, nilque pretiosum invenisse, at saltem fenestras rapuisse, quæ vitro lignis incluso clauderentur (3). Idem (4) vitreas memorat ecclesiæ S. Juliani fulmine destructas, vitreamque absidem ecclesiæ, in qua jacet sepultus S. Albinus episcopus Andegavensis (5). Vitro quoque utebantur ad fabricandos calices, quamvis id prohibuerit in concilio Triburensi (6) Benedictus Anianensis, et pocula agathosque. Imo ad id solertiæ mox nostri pervenerunt artifices, ut vicinæ regiones eos a nobis peterent : Septimi enim sæculi sub finem, Benedictus Bisso-

(1) Legimus tamen in cap. de villis, 42. « Ut unaquæque villa intra cameram lectaria, culatas, plumatios, batlinias, drappos, bancales etc. habeat, ut non sit necesse aliubi hæc quærere aut commodare. »
(2) EINHARD, éd. Teulet, II, 82.
(3) GREG. TUR. De glor. mart. 59. — (4) Id. 27.
(5) Id. VI, 10, — VII, 29. — Vita S. Eligii II, 45.
(6) 895. Cf. DE LASTEYRIE. Origine du verre. II, 10.

pus, abbas Wiremuthensis in Anglia, legatos in Franciam misit qui nonnullos secum in Angliam reducerent vitrifactores (1). Reges ideo huic arti faverunt, vitrifactoresque magni duxerunt. Exstat adhuc Karoli Calvi diploma anni DCCCLXVIII pro monachis sancti Amandi, quibus concedit « in Diptiaco mansum unum cum vitreario Balderico, et in Parisiaco mansum dimidium cum ipso vitreario Ragenulfo cum uxoribus et liberis eorum etc. (2). » Ex eo tempore, si quibusdam Neustriæ familiis fidas, privilegia summa concessa fuerunt, per quæ vitrifactores ad nobilitatem perveniebant : quod vero certis documentis nondum confirmatum (3).

Ad aliam transeamus artem, qua et gloriamur hodie, artem dico tapetum, antiquam valde et jamdudum celebratam. Gregorius enim Turonensis (4) laudat plateas in urbe Remorum pro baptismo Chlodovæi velis depictis adumbratas, ecclesiasque cortinis albentibus adornatas; laudat quoque aulæa auro et margaritis intertexta, quæ in dedicatione ecclesiæ S. Dyonisii prætendebantur muris. Notum est etiam reginam Bertham, Pippini uxorem, lanam nere et acu aulæa variare. In (5) civitate Atrebatica veræ exsistebant tapetum officinæ, adeo ut et hodie Itali appellent tapetes *arrazi*. Haud secus in Pictavio : nempe exstant epistolæ de tapetibus inter Guillelmum Quintum Pictavensem et episcopum Italum Leonem. Verum in ecclesiis præcipue et monasteriis splendebant tapetes hominum animaliumve figuris variati. Abbas enim Cluniacensis monachorum sedilia cortinis palliisque exornabat festis diebus (6). Angelmus episcopus Altissiodurensis (anno DCCCXL), ad basilicam ornandam plurima emerat peripetasmata (7) : sed, ante omnes, Robertus abbas S. Florenti Salmuriensis tapetum arti favit (8). « Ipse enim [præ-

(1) Béda. Venerabilis. Historia ecclesiastica Anglorum, I, 5.
(2) Martène op. cit. I, 167, 8. — De Lasteyrie II, 12.
(3) Documento sint gentes Brossard, Caqueray, Vailland, Bongard, etc. De Lasteyrie II, 13.
(4) Greg. Tur. II, 31. De glor. mart. I, 72.
(5) Jubinal. Recherches sur l'usage et l'origine des tapisseries à personnages.
(6) Annales S. Bened. IV, 208.
(7) Labbe. Histoire de l'église d'Auxerre, 35.
(8) Vers 985. Martène op. cit. V, 1106, 1107.

fatus pater multitudinem copiosam ornamentorum inauditorum diligens exquisitor adquisivit, videlicet magnorum ex lana dossalium, cortinarum, fasterdium, tapètum, bancalium, ceterorumque ornatuum variis imaginibus insculptorum. Nempe duas mirificæ qualitatis et quantitatis componi fecit aulæas, quæ trapezytæ conductivi pretiosa elephanteas imagines venuste continentes consuerunt. Binos etiam ex lana dossales texi præcepit. Item clarissima leonum specie multæ longitudinis sanguineos gestantes campos alios fecerunt, in quibus margo erat candidus bestiæ, vel aves rubeæ. »

Animadvertendum igitur jam tunc apud majores nostros artes illam affectavisse elegantiam, quæ nunc peculiare et proprium Franciæ, ut ita dicam, patrimonium evadit.

De artibus quæ spectant ad metalla.

Nostro quidem tempore nullæ artes magis florent quam illæ quæ spectant ad metalla : Non autem ita se res agebat regnantibus Karolinis. Documenta enim fere nihil de hac re memorant.

At enim arma pro militibus aut venatoribus tunc fabricabantur : non erat ut nil superesset de fabricis quas enumerat notitia (1) dignitatur, scilicet Argentoratensem armorum omnium, Matisconensem sagittariam, Augustodunensem loricariam, Suessionensem scutariam, Remensem spatariam, Triberorum scutariam et balistariam, Ambianensem spatariam et scutariam. Ita prorsus : neque sine industria, quemadmodum id credere possumus ex armis in Musæis conservatis. Imo Cangius nomina multa enumeravit armorum tunc usitatorum (2). Ubi vero fabricabantur incertum. Notemus tamen non licuisse omnibus arma vendere : Capitularium (3) enim exstat Karoli magni « de loricis extra regnum non vendendis. »

(1) Notitia dignitatum. Bouq. I, 126.
(2) Indices in Cangio, éd. Heuschel.
(3) Bal. I, 198, cap. (779) 20. Cf. Bal. II, 186, éd. Pist. 25.

Erant quoque fabricatores rusticorum instrumentorum (1), vasorum scilicet æreorum aut plumbeorum, cuniadum, terebrorum, toradrorum, scalprorumque, neque, ut videtur, sine laude. Ex quo enim Galli, Bituriges præcipue, fuerant soliti compescere stanno æruginis virus, et ita vasa exornare incoctilia, currusque ac rhedas metallis (2), ars ea floruerat semper. Regnantibus autem Karolinis ars sola conservata erat liquefaciendi metalli. Monachus (3) enim Sangallensis narrat monachum quemdam, Tancho nem nomine, æs campanum conflorisse cujus sonitum miratus imperator ei pro stanno cuprum et argentum dederat ad aliud conflandum.

Sœpe etiam memoratum invenire est aurum obryzum, i. e, coctum, quo maxime utebantur aurifices (4). De aurificibus vero documenta et insuper monumenta supersunt, e quibus conjici potest ars exquisita hujusce temporis. Ex quo enim (5) S. Eligius quasi officinam in palatio Dagoberti instituerat, non defuere discipuli, tali magistro prorsus digni, qui quidem aut Lutetiæ aut apud Remos aut in monasterio S. Dyonisii vasa pretiosa capsasve reliquiarum fabricabant, quæ nostram, et hodie, movent admirationem (6).

In eo enim tempore publica fortuna præcipue constabat e pretiosis metallis, quæ reges episcopique aut accumulabant aut in varia mutabant artis opera. Chartularia monasteriorum (7) et ecclesiarum magnificos enumerant thesauros (8): vel miminæ ecclesiæ suis superbiebant divitiis artiumque

(1) De villis § 42. — Breviarium rerum fiscalium Karoli Magni. (Guérard. Polyptique d'Irminon. Appendix. 296, 304) enumerat (p. 302) fossorium, bessum, securem, dolatoriam, taratrum, scalprum, gulbium, falcile, falcem, cultrum, serram.

(2) Plinius XXXIV, 18, 20.

(3) Bouq. V, 118. Mon. San Gallensis I, 31,

(4) Audœnus. Vita S. Eligii passim. — Fortunatus V, 5, cap. Karoli Calvi XXXI, 24, etc.

(5) Bouq. II, 286, chronic. S. Dyon. V, 9. — Vita S. Eligii XVI. « Habentur ibi artifices plurimi diversarum artium periti qui.... semper ad obedientiam sunt parati. »

(6) Gazette des Beaux-Arts 1866, p. 257.

(7) Cartulaire de Redon, 189. — Félibien, histoire de Saint-Denys, 536, 538, 542.

(8) Gazette des Beaux-Arts 1862. In obscuro pago, Conques scilicet, non procul a Ruthenis, reperta fuit statua feminæ sedentis in argentea cathedra, splendidaque capsa a Karolo Magno data.

miraculis. Aurifices vero non modo monasteria ecclesiasve suis ditabant operibus, quippe qui volumina etiam magnificis ornarent textis aut ex ebore aut ex auro argentoque, regesque et episcopi nil (1) antiquius ducebant quam ut talia possiderent (2) volumina.

Non est ut omittamus crebrum gemmarum usum in vestibus hujusce temporis (3). Ergo ne quis miretur si, et hodie, aurificum hujusce temporis solertiam exquisitaque opera maximi faciamus.

De artibus quæ spectant ad intellectum.

Artibus, quæ ad alimenta, vestitum, domosque, id est ad naturales, ut ita dicam, hominum necessitates spectant, expositis, restat ut eas quæ ad intellectum, id est ad morales hominum necessitates pertinent, consideremus.

Haud equidem diffiteor homines ea tempestate minimi duxisse animi culturam. Quum tamen nullus ignoret litteras a Karolo Magno ad Karolum Calvum revixisse, necesse fuit artes nonullæ ad hanc litterarum renovationem spectantes florerent : Ante alias (4) ars manuscriptorum : Omnibus hodie notum est quanta cura reges et sacerdotes studuerunt ut manuscripta possiderent; quippe qui non modo, sicuti Alcuinus, in Angliam legatos mitterent qui venarentur ea tanquam reliquias, sed etiam monachis transcriptionem eorum, velut religiosum opus, imponerent. In omnibus monasteriis ea tempestate camera erat peculiaris, nomine scriptorium, in quam penetrabant soli abbates ad opera inter suos dividenda. Rem omnino facilem, nempe monachi totis viribus incumbebant ut sacro illo fungerentur officio. Manuscripta igitur pretiosa evadunt non modo propter ipsum textum, sed

(1) Guérard. Polyptique d'Irminon. Breviarium rerum fiscalium Karoli Magni. — Appendix. 297.
(2) Nonnulla volumina pervenerunt ad nos. Documento Opera Gregorii Naziansæi, picturis ornata minutissimis, quæ continet imperialis bibliotheca, Sanctæque Scripturæ quas, a Theodulfo datas, servant Aniciences Canonici.
(3) Bouq. V, 417. carm. Theodulfi. — V, 391, Poet. Saxo.
(4) E. Werdet. Histoire du livre en France, depuis les temps les plus reculés jusqu'en 1789. Paris, 1861, passim.

plus etiam propter litterarum et ornamentorum elegantiam. Documento sint Divinæ Scripturæ, A Karolo Calvo datæ, quas adhuc servat monasterium S. Calixti Romæ (1); psalterium latinum a quodam Dagulfo exaratum litteris aureis, quod celebrat carminibus Karolus Magnus (2); duo evangelii codices auro scripti cum tabulis argenteis, aliaque volumina ducenta, quæ Angilbertus in suo Centulensi monasterio pretiose conservabat. (3)

Illud quoque manuscripta summo in honore versata fuisse denuntiat, scilicet quod eorum possessio religionis tutela defendebatur. Etenim fere omnia hujusce temporis manuscripta ferunt inscriptionem, quam nostræ tempestatis discipuli, non conscii prorsus, ridiculum deformant in modum : « Si quis hunc librum invenerit, et non reddiderit, in æternum igne cremetur. »

De aliis autem artium operibus, de statuis scilicet, picturisque aut sectilibus pavimentis, hic non locus est. Plerumque enim non mutantur de sede, ideoque nil attinent ad commercium. Animadvertamus tamen instrumentorum musicæ, et præcipue organorum fabricationem. Postquam enim Constantinus imperator, anno DCCLVII, dono dederat Pippino organa miræ dulcedinis (4), a Baldrico comite fuit adductus ante Pium Ludovicum presbyter quidam, nomine Gregorius, qui, Græcorum more, organa composuit non vento sed aqua pulsa. Ejus exemplo formati sunt discipuli qui passim portaverunt artem fabricandi talia instrumenta, non autem semper cum bono eventu. Exstat enim epistola Gerberti ad Raimundum Aurelianensem in qua de organis et organicis queritur.

Quæ quum ita sint, mercaturas, de quibus exercetur commercium, seu naturales, seu fabricatas, pro comperto habemus. Illud igitur a nobis nunc considerandum, quæ in loca convenire solerent negotiatores.

(1) Cf. VILLERMIN, pl. 7. — SEROUX D'AGINCOURT. Histoire de l'art par les monuments, depuis sa décadence au Vᵉ siècle, jusqu'à son renouvellement au XVᵉ, pl. 40, 5.
(2) BOUQ. V. 402.
(3) Annal. S. Bened. t. II, p. 332 (798).
(4) Id. p. 181.
(5) BOUQ. VI, 107, 209, chronic. S. Dyon. Annales Fuldeuses (826).

PARS TERTIA

DE LOCIS IN QUIBUS COMMERCIUM EXERCEBATUR

CAPUT I

De viis publicis

Viæ fluviales.

Viarum (1), utilitas imo necessitas, omnibus populis qui negotii rebus se dederunt, apparuit brevi. Nil enim negotiatoribus magis prodest quam numerosa illa et larga itinera, per quæ in diversas et penitus remotas vehantur regiones, adeo ut semper una floruerint et negotium et viæ publicæ, utque, etiamnunc, eo magis ditescant populi quo facilius per itinera huc illuc ferantur. Strabo qui, primus (2), Galliæ situm miratus, fortunam ejus quasi divino instinctu pronuntiavit, laudat felices Gallicorum fluviorum cursus, quos, ut ait, inter sese jungere res non esset ardua : laudat quoque facilitates, quas ad negotiandum suppeditant hi fluvii plerumque rapidi nec tardati longioribus meatibus. Atque ideo, quamvis per fluvios Oceanus et Mediterraneum mare juncta fuissent serius, jamdudum Rhodano aut Ligeri ceterisque omnibus utebantur Galli quasi viis naturalibus ad negotiandum (3). Quando Romani, Galliam fecere suam, non modo tali faverunt navigationis generi (4) sed etiam nautarum so-

(1) Vignon. Etudes historiques sur l'administration des voies publiques en France au XVII[e] et au XVIII[e] siècle, 3 vol. in-8°. Paris, 1862.
(2) Strabo. IV, 1, 14.
(3) Cf. Polybe. III, 41. Tite Live. xxx. 26, 27.
(4) Diodore. XLIV, 42.

cietates constituere, quarum plures subierunt oblivionem, nonnullæ autem pervenerunt ad nos, societates nimirum nautarum Rhodani, Ararisque et Druentiæ (1). Nulla vero societas magis notuit quam splendidissimum corpus mercatorum aquæ Parisiensis (2), quod, sub Tiberio jam præpotens, multisque eminens privilegiis (3), mox Lutetiam divitiis auxit.

Quando barbari Galliam occupavere, nautarum societates magis ac magis floruerunt, nedum cum aliis institutis perierint. Terrestribus enim viis per incuriam aut negligentiam imperviis, fluvii, utpote naturalia itinera, soli fructus aliasque vitæ necessitates huc illuc transferebant, quemadmodum et hodie videmus in regionibus Americæ aut Oceaniæ vix cognitis aut nondum habitatis incolas uti fluviis veluti unicis commercii modis. Inde major nauticarum societatum numerus, inde majora crevere privilegia, quibus nequidquam obstiterunt mille impedimenta et exactiones.

Fluvialia vero itinera interdum difficultates præbent quas superes necesse est; inundationem scilicet, aut riparum humiditate erosarum ruinam, aut etiam arenarum congeriem. Nil igitur mirum si nautæ, qui fluvialibus itineribus uterentur, ea servare integra aut reficere deberent. Documento sit Liger qui, haud secus ac hodie, propter magnum decursum aquarum, et alvei exiguitatem, sæpe inundabat. Exstat capitularium (4) : « De aggeribus juxta Ligerim faciendis ut bonus missus eidem operi præponatur, et hoc Pippino per nostrum missum mandetur, ut et ille ad hoc missum ordinet quatenus prædictum opus perficiatur. »

Viæ terrestres.

Viæ autem terrestres, quamvis pariter utiles ac necessariæ, non pariter floruere tunc temporis. Romani tamen Gallias

(1) GRUTER. 425, 1. — 375. 3. — 413, 4. — DESJARDINS. Embouchures du Rhône, p. 28.
(2) GRUTER. 5251. — 371, 8. — FÉLIBIEN. Hist. de Paris, I. — LEROY. Dissert. sur l'origine de l'Hôtel-de-Ville.
(3) DIGESTE. L. 4, 5. — COD. THÉOD. XIII. 5, 16.
(4) Cap. ad Théodonis villam (821) 10.

magnificis constraverant viis, quas conservare aut augere non arduum fuisset (1). Sola autem regina Brunechildis antiquas vias reparavit, adeo ut et hodie designentur multis in locis nomine viarum Brunechildis (2). Dagobertus quoque capitularium edidit de viis, quod fere iisdem verbis renovavit Karolus Magnus; unde patet tria, ea tempestate, exstare viarum genera, unum scilicet viarum publicarum, alterum pastoralium, tertium convicinalium (3). Vias, quamvis semirutas, exstitisse tamen regnantibus Karolinis demonstrant nonnulla Karolinorum capitularia de pontibus creandis aut instaurandis. Romani enim, qui sibi et posteritati monumenta ædificabant, construxerant pontes quorum et hodie ingentia rudera mirari possumus : Beneficiorum possessoribus Karolini imposuere (4) curam pontes reficiendi antiquos, in suis beneficiis sitos, sed et dedere operam ut novi ædificarentur pontes, neque profecto sine magnis pro constructoribus privilegiis : « Notum sit (5) omnibus quia placuit nobis extra Parisiensem urbem de ærario nostro super terram monasterii S. Germani... majorem facere pontem. Post expletionem vero ejusdem pontis concessimus ut ipse episcopus Æneas et successores ejus in posterum pontem cunctasque arcas aquæ ejusdem pontis, ac molendinos, et quidquid ad eum justo ordine et legatione pertinere videtur, absque ullius comitis vel vice comitis seu cujus libet judiciariæ potestatis contradictione libero et pacifico teneant arbitrio. »

Verumenimvero tot et tanta privilegia non nunquam adducebant pontium constructores ad id ut non dubitarent

(1) Rergier. Histoire des grands chemins de l'Empire romain, 2 vol. in-4°. — (2) Id. I, 98. — (3) Bal. I, 514 cap. 3 (813). 39.

(4) Cap. Pippini (789) 9. « consideravimus ut pontes, infra regnum nostrum, in omnibus locis pleniter emendatœ esse debeant per illa loca ubi antea semper fuerunt. » — Cap. Ludovici Pii (817, 819, 823). — Bal. I. 612, 8. — 617, 17. — 639, 20. « Volumus ut missi nostri per singulas civitates una cum episcopo et comite missos vel nostros homines ibidem commorantes eligant quorum curæ sit pontes per diversa loca emendare. » etc. — Cap. Lotharii « de pontibus restaurandis, videlicet ut secundum capitularia avi et patris, ubi antiquitus fuerunt, reficiantur ab his qui illos honores tenent. » — Bal. I. 338, 32.

(5) Bal. II. 1491, ex parvo cartulario ecclesiæ Parisiensis. — Cf. Bouq. VIII, 568 diploma Karoli Simplicis pro monasterio St Sulpitii apud Bituriges. — Id. 538.

agricolas fabrosve temere colligere (1), eisque certum dierum numerum imponere, per quos gratuito tempus et operam impenderent. Inde corvadarum (2) origo, quæ tamdiu duraverunt detestandæ abominandæque, quasque nullus poterat vitare, ne sacerdotes quidem.

Erant (3) quoque, tunc temporis, propter publica itinera, dispositæ in certis locis mutationes cum equis aut mulis, pro regis usu ministrorumve regis (4). Tot vero tantisque oneribus mox gravati fuerunt soli possessores, ut, plerumque, legati et missi dominici nil paratum in stationibns invenirent, equosque et cetera ad iter necessaria procul quærere deberent, invitis regum capitulariis (5).

Quando vero Normanni anniversariis, ut ita dicam, bellis turbaverunt Franciam, quandoque comites et villarum possessores, imo episcopi abbatesque sese in mænibus castellorum absconderunt, non modo equorum stationes nullæ factæ sunt, pontesque dedere ruinam, sed viæ, a nullis reparatæ, mox silvis lapidibus que obtrutæ evaserunt (6).

Si quis enim Franciæ solum quale fuerit, nono aut decimo post Christum sæculo, consideret, nunc sabulosam ac dumis horridam tellurem, nunc silvas, et raro villas castella, urbesque inveniat. Soli patent castellorum aut civitatum aditus, callesque vix pervii, temereque dispositi, prout proceribus venantibus, aut agricolæ terram laboranti placuerit. Interdum apparet viator, peregrisnusve anxius, qui quidem, viis neglectis, per semitas incognitas ducunt iter. Tot enim tantisque circumventi periculis incedunt!

(1) BAL. I, 32. Anseg. IV. 60. Cap. Lud. Pii 79. — Leges Langob. lib. III, tit. I, § 21, 26, 32, 42.
(2) BAL. I, 514 (813) 37. « Si quis ad pontem publicum bannitus fuerit, et non venerit, solidos quatuor fredi componat. » — Cf. BAL. I. 338, cap. Lotharii V. 32.
(3) Ex antiquo Romanorum more. Cf. Cod. Théod. VIII. 5, de cursu publico, angariis et parangariis tit. VI. De tractoriis et stativis.
(4) BAL. II. 200, cap. Tusiac 16. 4. Cf. de evectionibns et tractoriis. — GUÉRARD. Polyptique d'Irminon proleg. 801. 822.
(5) LEHUEROU. Institutions Carlovingiennes. 471.
(6) VIGNON. op. cit. 1. 5.

De teloneis.

Nihil vero in viis, seu fluvialibus seu terrestribus, magis obstabat negotiatoribus, ideoque commercio, quam major in dies numerus teloneorum.

Quod attinet ad interiorem navigationem, nautarum societates, privilegiis plerumque nimiis fretæ, ad id imprudentiæ venerunt ut flumen aut rivum quasi patrimonium considerarent, omnibusque aditu ejus interdicerent, nisi magno penderent tributum. Inde tot tantæque semper renascentes lites inter Araris aut Rhodani (1), inter Sequanæ et Matronæ nautas, inter Sequanæ ipsius nautas, ceu citra ceu trans Lutetiam incolerent (2), quippe qui sese invicem veluti hostes haberent, nedum concordia florerent.

Non autem modo societates, sed etiam urbes aut castella, imo monasteria, tyrannidem exercere non dubitabant. Navem hanc videamus exempli causa quæ Rhodanum descendit : Quotiescumque tetigit terras societatis cujuslibet, aut urbis, aut prædii nobilis, aut ecclesiæ, ab ea jus passagii exigitur (3). Ecce autem pons occurit : pontaticum (4) solvendum est. At enim pontem evitare et aliud fluminis brachium sine ponte sequi in promptu est. Haud ita prorsus. Adest enim telonearius qui poscit tributum, aut navem sub ponte transire, ut solvat tributum, cogit (5). Quinetiam, ubi demonstratum fuit pontaticum prodesse, novi pontes, quamvis inutiles, fuerunt constructi, novaque tributa indicta ; inaniaque rursum cesserunt regum capitularia (6).

Aliud telonei genus, ripaticum scilicet, exsolvebant omnes ripæ fluminis appropinquantes, ubi (7) « aliquid emitur aut

(1) Monfalcon. Hist. de Lyon, 3 vol. in-4°. Lyon, 1851, t. I.
(2) Chéruel. Hist. de Rouen.
(3) Cangius. op. cit. — (4) Id. Pontaticum.
(5) Baluze. I, 406, cap. 1 (809) 19. — I. 472, cap. 2 (809) 9. « Nemo cogat (alium ad pontem ire, ubi juxta pontem aquam transmeare potest.
(6) Bal. I, 601, 1 (819), 17. — I. 615, 5 (819), 14. — I. 622 (821) 3. — I. 668, 2.
(7) Baluze. I, 621, cap. (820), ap. Theodonis villam l. — Baluze. I. 639. cap. (823), 19.

venditur qualibet causa ad usum commercii pertinens, et ubi emptor cujuslibet utitur herba aut lignis aut aliis villaticis commodis. »

Navis tandem quo tendebat pervenit : non tamen omnino libera est : at contra societatibus privilegio donatis (1) haulagium exsolvet pro licentia exponendi navem in haula, portaticum et anchoraticum pro licentia portum adeundi, et anchoram figendi ; exsolvet quoque geranium pro machinis quas ex nave in littus merces extrahunt, et ponderagium, et mensuraticum, et modiaticum, ubi quid vendiderit aut emerit. Reges profecto de teloneorum immunitatibus decreto decretis accumulant : Quis autem ignorat corruptissima republica plurimas leges (2) ?

Hæc dura quidem : negotiatores autem qui per aquam vehebantur fere liberi immunes evadebant, si compares eos negotiatoribus qui terrestri utebantur itinere.

Non erat enim ut viator ille solus, sine patronis, sine armis, suæ imbecillitatis conscius resisteret aut latroni aut teloneario aut etiam cuilibet armato. Illum sequamur in itinere. Transitorium et viaticum si non exsolvit (3), aut renovavit, quotiescumque novi domini territorium adit, væ misero ! At enim de rebus ad vitam necessariis negotiatur, Pipinusque de teloneis sic ordinat (4) : « Ut nullus de victualis et carris..., teloneum prehendat. » Karolus Magnus quoque decernit ut (5) : « de his qui sine negotiandi causa substantiam suam de una domo sua ad aliam, aut ad palatium, aut ad exercitum ducunt, nihil exigatur. » Frustra autem : quippe qui idem Karolus eam defensionem bis renovet (6) ejusque successores pariter, sed incassum (7).

Ecce autem viam interrumpit aut torrens aut fluvius. Necesse est igitur viator unico transeat ponte : neque prorsus

(1) Cangius op. cit. haulagium, portaticum, anchoraticum, geranium, ponderagium, mensuraticum, modiaticum.
(2) Tacite. Annales III, 27.
(3) Cangius op. cit. transitorium et viaticum.
(4) Baluze. I, 175, cap. Vern. 26.
(5) Baluze. I, 426, cap. 2 (805), 13.
(6) Baluze. I, 432, cap. 3 (805), 15. — I. 466, cap. 1 (806), 19.
(7) Baluze. I, 601, cap. 1 (819), 17. — I. 615, cap. 5 (819), 14.

sine tributo. Imo interdum funis viam rumpit, et, ut pergas, rursus expendes tributum, quamvis dixerit Karolus Magnus (1) : « Nova et injusta telonea, ubi vel funes tenduntur... seu his similia in quibus nullum adjutorium itinerantibus præstatur, non exigantur. »

Via tandem libera aperitur. Nil jam obstat quominus viator, viatico et passagio et pontatico exsolutis, iter reliquum conficiat. Ita quidem. Sed plaustri rotæ vestigia sui impressere ; sed pulvis excitatus fuit : Tributum igitur pro damno quod in viis plaustra facere solent, rotaticum scilicet, et tributum pro pulvere comportato, pulveraticum scilicet, exigat. Ne credas capitularia hæc exstitisse rara : capitularia enim semper enumerant rotaticum et pulveraticum una cum aliis teloneis (2) adeo ut ipsi reges non modo ea tolerent, sed etiam, quando immunitatem uni alterive conceduut, immunem a rotatico et pulveratio eum semper (3) declarant.

Hæc autem non satis : Nempe viator cespitaticum quoque exsolvet pro via cespitibus munienda, et avariam pro damnis reparandis, extraordinariisve sumptibus providendis. Tandem pervenit viator, non autem omnino liber. Appropinquant enim telonearii qui salutaticum ultra debitam pensitatem pro domini honore, curaturam ex mercibus in nundinis distractis, modiaticum et mensuraticum et ponderaticum sibi vindicant et exigunt. His tandem conditionibus peractis liber erit, nisi prius bonis spoliatus, et interdum libertate privatus fuerit.

Erant tamen negotiatores qui commercium exercere, nundinasque et mercatus petere auderent.

(1) Baluze. I, 426, cap. 2 (805), 13.
(2) Baluze. I, 402, cap. 5 (803), 22. — I. 402. cap. 9 (803), 6. — I. 426, cap. 2 (805), 13. — I. 466, cap. 1 (809), 19.
(3) Cangius. op. cit. rotaticum. pulveraticum.

CAPUT II

De mercatibus et nundinis

De mercatibus.

Mercatus enim Franciæ, regnantibus Karolinis, enumerare omnes, res profecto ardua foret, quippe qui per totum regnum essent diffusi; sicuti demonstrant hujusce temporis capitularia, quibus nunc Karolus Magnus defendit (1) « uti habeantur in die dominico, nisi ubi antiquitus et legitime esse debent », nunc Karolus Calvus eos recenseri jubet (2). « Volumus ut unusquisque comes de comitatu suo omnia mercata inbreviari faciat, et sciat nobis dicere quæ mercata tempore avi nostri fuerunt, et quæ tempore domini et genitoris nostri esse cœperunt, vel quæ illius auctoritate constituta fuerunt, vel quæ in antiquis locis permanent, et, si mutata sunt, cujus auctoritate mutata fuerunt. Et ipsum brevem unusquisque comes ad proximum placitum nobis adportet, ut decernere possimus quatenus necessaria et utilia, et quæ per auctoritatem sunt maneant, quæ vero superflua interdicantur, vel suis locis restituantur. » Quum vero, seu forte, seu per incuriam, nulla ad nos pervenerit comitum enumeratio, non est ut Franciæ mercatus recenseamus. Illud tamen animadvertendum, scilicet in urbibus præcipue constitutos esse mercatus; ideoque ea nobis incumbit provincia urbes recensendi interioris Franciæ quæ commercio florebant.

Paucæ tunc exstabant civitates, quas historiarum scriptores memorant utpote commercio vacantes. Atrebatum tamen civitas pannorum laneorum texturis a sancto Hieronymo celebris (3), Virodunumque nominanda sunt in septentrionali Franciæ parte : Virodunum præcipue, quod generoso

(1) Baluze. I, 471, cap. 2 (809), 8.
(2) Baluze. II, 182, ed. Pist (864), 19.
(3) Bouquet. I, 541.

regis Theudeberti dono olim ditatum (1), mox per societates seu bracensium ad fabricationem cervisiæ seu mangorum ad eunuchorum venditionem, ad id potentiæ pervenit ut a Karolo Magno desciverit, contraque eum obsidionem sustinuerit.

Lutetia, nondum caput regni, commercio tamen indulgebat propter confluentes non procul a se Sequanam et Matronam, neque profecto sine successu, quippe quæ sedes esset splendidissimi corporis mercatorum aquæ, Judæisque ac Syris abundaret. Atque ideo, jure quidem, de ea scribebat Abbo vates (2) :

Sum polis ut regina micans omnes super urbes,

et Adrelvaldus, monachus S. Floriacensis super Ligerim, in deploratione Franciæ sub Karolo Calvo a Normannis direptæ : « Quid Lutetia Parisiorum, nobile caput resplendens quondam gloria, opibus, fertilitate soli, incolarum quietissima pace, quam regum divitias et emporium dixero populorum (3) ? »

Lugdunum quoque antiquam Galliarum metropolim, ea tempestate commercio floruisse demonstrant Judæi et advenæ negotiatores (4), qui, sede in hac urbe posita, mox in multas opes creverant transitorii commercii navigationisque fluviorum beneficio. Sanctus enim Patiens episcopus societates nautarum Rhodanicorum et Araricorum, fere exstinctas a Barbaris, quasi creaverat rursus, novisque ornaverat privilegiis (5). Theoldulfus episcopus Aurelianensis una cum Leidrado missus a Karolo Magno ut imperium imperatorisque ministros visitaret, Lugdunum enumerat non sine laude inter urbes quas adivit. Enumerat quoque saxosa in valle Viennam, Arausinas terras, Avenninaque rura, Nemausum spatiosam operosamque urbem, Magalonam, cujus hodie rudera solummodo exstant informia, Sextantionem caput et originem Monspelii, Carcassonam, Redasque : In reditu visi-

(1) Greg. Tur. III, 25. — Gesta Francor 19, — Spicilegium III, 235.
(2) Abbon.
(3) Pars. II, § II. — Monfalcon. Hist. de Lyon, II. 150.
(4) Sidonius Apollinaris VI, 12.
(5) Bouquet. VI, 416, iter Theodulfi.

tant Arelatem aliis quæ pluribus exstat prima gradu, sed non jam meretur laudes Romani pœtæ.

Gallula Roma Arelas.....
Præcipitis Rhodani sic interfusa fluento,
Ut mediam facias navali ponte plateam,
Per quem Romani commercia suscipis orbis. (1)

De nundinis.

Non igitur deerant urbes quæ, propter situm et loci necessitatem mercatuum sedes essent, ideoque ditarentur. Adde quod in iisdem urbibus aut in aliis locis certis ac definitis mos sensim invaluerat ut negotiatores, privilegiis freti, statutis temporibus, convenirent ad celebrandas nundinas, quæ non modo, sicuti in mercatibus, agricolas aut opifices vicinos, sed etiam negotiatores e remotissimis regionibus congregabant : eo magis quo civitatum domini aut agrorum possessores, ut negotiatorum numerum divitiasque regionis augerent, eos sub tutela accipiebant, privilegiisque ornabant.

Quando inceperint in Francia nundinæ haud facile dicas : Documenta enim desiderantur. Quamvis Strabo memoret emporia Narbonæ, Burdigalæ et Corbilonis, nil aliud de his reperire est (2) ; quamvis Sidonius Apollinaris in epistola ad episcopum Tricassium Prudentem quemdam nominet, cujus subscriptio inter formulam nundinarum tanquam idonei adstipulatoris ostenditur (3), nullum certum de celeberrimis Campaniæ nundinis exstat documentum nisi anno DCCCCXCVI. (4) Non est enim ut fidem faciamus fabulosæ narrationi qua ferunt has nundinas a Karolo Calvo institutas fuisse (5) :

? 996

Dis festes fist (Karl) en France le pays ;
L'une de Bar et deux mist à Prouvins,
La tierce à Troyes, et la quarte à Senlis.
Et trois en Flandre, le novisme au Leudi,
Et la dixisme remit-il à Lagny.

(1) Ausonius. Ordo nobilium urbium.
(2) STRABO. IV, 1, 6. — II, 1.
(3) Sid. Apollin. VI, 4.
(4) BOURQUELOT. Les foires de Champagne, mémoire présenté à l'Académie des inscriptions, I, 11.
(5) BOURQUELOT. I, 68, laudans roman d'Anséis dans Garin le Loherain.

De Campaniæ vero et Flandriæ, quemadmodum de celebribus et perantiquis Gibræi, aut montis Bibractensis (1), aut Vindomagi (2), aliorumque locorum nundinis, nil certum habemus, nisi quod scriptores historiarum eas utpote antiquis privilegiis ornatas semper memorant.

Causa autem his in temporibus exstat quæ nundinarum numerum augebat, peregrinationes dico et reliquiarum cultum. Ubicumque enim episcopus aut monachus vitæ austeritate egregiisque virtutibus inclaruerat, ejus corpus multitudo verebatur et visitabat. Principio prorsus religio sola excitabat peregrinos, quorum numerus adeo crevit, ut reges capitulariis eos protegere debuerint, « Et (3) similiter constituimus, dixit Pippinus, ut, ipsos per nullam occasionem ad pontes vel exclusas detineatis nec ullum teloneum eis tollatis. » Item Karolus Magnus (4) : « Placuit ne peregrinos transeuntes quisquam inquietare præsumat, eisque nocere audeat... Quod si aliquis presumptiosior fuerit qui peregrino nocuerit... ei sigillatim cum sua lege comperiat. » Ipsi monachi et episcopi dabant operam ut peregrini bene exciperentur, sicuti demonstrat formula Marculfi, qua peregrinis episcopi commeatum et quasi viaticum suppeditant (5) : « propterea cognoscatis, sanctissimi patres, has litteras, ut, quando ad sanctitatem vestram venerit, melius ei credatis, et ideo mansionem ei et focum, panem et aquam largiri dignemini, et postea sine detentione ei liceat ad loca sanctorum festinare. »

At enim peregrini omnes non unice rebus religionis inserviebant : Omissis « cottionibus et mangonibus, » qui utpote peregrini discurrebant (6), erant quoque negotiatores qui commercium exercebant sub specie religionis. Necesse enim fiebat (7), multitudini prope sanctorum reliquias congre-

(1) Revue historique, 1er numéro. Bibracte et le mont Beuvray, par C. Rossigneux.
(2) De Forton. Hist, de Beaucaire, pl. 24.
(3) Baluze. I, 175, syn. Vern. (755), 26. — I, 170, cap. Metense, 6 (766).
(4) Baluze. I, 902, cap, Anseg. V. 264.
(5) Formula Marculfi. Baluze. II. 441, cf. supplex libellus monachorum Fuldensium Karol. imp. porrectus. art. 13. Annal. Bened. II. 395.
(6) Baluze. I, 902, cap Anség. V. 264. — I. 239, cap 1 (789), 17.
(7) Greg. Tur. De glor. marty. LVIII.

gatæ non modo præbere alimenta, sed etiam vestitus aut ornamenta. Inde commercii cujusdam origo, quod sacerdotes irati respuerunt, mox prudentiores permiserunt, et dein aperte rexerunt. Inde sanctarum nundinarum sub administratione sacerdotum creatio, inde privilegia magna et innumnera, scilicet tributorum exemptio, securitasque negotiatorum.

Non est ut omnes enumeremus nundinas quæ, sanctarum reliquiarum sub patrocinio, in Francia constitutæ fuerunt. Monasteria enim fere omnia aut ecclesias omnes nominare deberemus. De celeberrimis autem S. Dyonisii nundinis pauca dicenda sunt (1).

Nundinæ Sancti Dyonisii.

Duæ dissimiles in eodem loco exstabant nundinæ, quas plerumque non sejunxerunt scriptores, una videlicet a Dagoberto rege, altera autem non a Karolo Magno, sicuti refert falsa traditio, sed forsan a Karolo Calvo instituta. Dagobertus enim, ut peregrinis faveret, quos anniversaria adoratio reliquiarum Dyonisii, Rustici ac Eleutheri invitabat (2), « areas quasdam infra extraque civitatem Parisii, et portam ipsius civitatis quæ sita est juxta carcerem Glaucini, cum omnibus teloneis... ad eorum basilicam tradidit, et per sui præcepti auctoritatem perpetualiter id esse mansurum proprii nominis subscriptione atque annuli impressione firmavit. » Illud vero ad monachos solum attinebat. Privilegia autem ipsi monachi negotiatoribus multa concessere, scilicet tributorum diminutionem et securitatem (3). Mox igitur celebres evaserunt tales nundinæ, quas frequentare inceperunt negotiatores non modo e diversis Franciæ provinciis sed etiam e remotissimis (4) Europæ regionibus, Saxonia scilicet, Hungaria, Hispaniaque.

(1) Bourquelot. I, 14, etc.
(2) Monach. S. Dyon. 33. Bouquet. IV, 588. — Gesta Dagoberti (an 633) § 34, Bouquet. II, 588.
(3) Félibien. Hist. de Saint-Denis, p. 14.
(4) Forsan nil aliud quam Britannia, tunc a Saxonibus occupata.

Monachi vero per privilegia, mox a Chlodoveo secundo confirmata (1), ad id divitiarum pervenerunt ut invidiam comitum Parisiorum in se conflaverint : Soanichildus igitur et Galfridus a monachis obtinuerunt ut licentiam haberent requirendi tributum quatuor denariorum a negotiatoribus liberis, quinque a servis, sed tantum in tempore belli (2). Paucis post annis alius comes Gerardus illud tributum et in tempore pacis exsolvi voluit. Abbas autem Fulradus novum regem Pippinum adivit, cujus referebat ecclesiæ indulgere eique simul suggessit antiqua diplomata, quæ rex, audito Gerardo iterum confirmavit (DCCLIII).

Qnum autem Gerardus, Pippini decretum nil curans, tributa a negotiatoribus iterum eixgeret, Fulradus iterum misit ad Pippinum Adrulfum et Rodegarium monachos (3), qui comitis nequitiam deplorarent. Rex igitur, « secum reputando antiqua privilegia, vetustissimasque traditiones (4), » non dubitavit iterum sententiam pro monasterio ferre. Lis autem, ut videtur, semper erat sub judice : Decem enim post annis Karlomannus sui patris Pippini, et anno DCCLXXV Karolus Magnus eadem confirmabant privilegia (5), Negotiatores igitur, monachorum et regum sub tutela, monasterio tantas attulerunt opes, ut eis monachi contra solem aut pluviam, magna cura et impensa, forum tectum construxerint.

Quinetiam mox aliæ creatæ fuerunt nundinæ, sub nomine feriarum indictarum, quibus priores sensim ac sensim abolitæ fuerunt. Sunt qui narrent Karolum Magnum, relatis ex Asia clavis, corona spinea et cruce Christi, pretiosas has reliquias dedisse monasterio, et ut urbs nimis exigua peregrinos omnes exciperet, nundinas in die indicta creavisse; unde nomen feriarum indictarum (6). Neminem vero latet a Karolo Magno Palestinam nunquam visitatam, ideoque reliquias nunquam relatas fuisse. Karolus Calvus quoque nundinas creavisse

(1) FÉLIBIEN. Id. pièces just. VI.
(2) Diploma Pippini. BOUQUET. V, 699.
(3) FÉLIBIEN. p. 52.
(4) Diploma Pippini 759. BOUQUET. V, 703.
(5) Diploma Carlomani (769). BOUQUET. V, 713. Diploma Karoli Magni (775). BOUQUET. V, 729.
(6) DOUBLET. Antiq. p. 1208.

fertur, postquam dedit Christi fasciam, Simeonis brachium et sacram sindonem (1). Non tamen prætereundum est quod ipse Karolus Calvus, nono decimo titulo edicti Pistensis, novas prohibuit nundinas, quodque nullum reperire de est his documentum ante diploma ab episcopo Parisiensi anno MCIX datum, quo campus S. Dyonisii indicitur ut exponantur et adorentur reliquiæ (2).

Quæ quum ita sint, seu in nnndinis S. Dyonisii, seu in aliis, negotiatores et peregrini, principes et servi, nulites et agricolæ conveniebant, ut raperent occasionem lœtandi (3). Nundinas enim quisque exspectabat veluti solemnem lætitiæ causam. In hoc immenso Christianæ religionis foro, quum nulli facultas esset negotiatores judicio persequendi, aut eorum merces capiendi, Saxones et Frisii .plumbum et ferrum, Slavones metalla, Orientales mercatores sericas vestes, aromata, species, margaritas ferebant, eaque permutabant cum oleo Massiliæ aut pellibus Neustriæ, cum vino Aurelianensi aut rub'a warantiaque Avenionis : Adde quod abundabant divitiis et urbes quæ recipiebant advenas, et ecclesiæ quarum sub tutela peregrini et negotiatores pariter erant suscepti.

Ex his concludendum erit fere totum Franciæ commercium tunc temporis contineri in nundinis. Quod si enim omittas mercatus in quibus agebatur præcipue de rebus ad vitam necessariis, nullum alium reperiemus negotiandi modum. Non vero prætereundum est nundinas, quamvis commercium existere testentur, florere solum in regionibus haud facile perviis, perque ipsa sua privilegia, commercii impedimenta futuramque ruinam denuntiare (4).

(1) Du Boulay. Hist. de l'univ. de Paris an 816 t. I. — Félibien. Hist. de Paris. I. 97.
(2) Doublet. Antiq. 1203.
(3) Adeo ut reges defendere debuerint « uti familiæ suæ tempus in nundinis consumant » cap. de Villis, 54.
(4) Encyclopédie. Foire.

CAPUT III

De Franciæ portubus

Portus Mediterranei maris.

Quomodo negatiores advenæ exciperentur in Francia notum est : loca igitur enumeranda sunt quæ potissimum adirent ad negotiandum.

In Mediterranei maris littoribus florebat ante omnes alias urbes antiqua Massilia. Ejus tamen solum nil aliud ferebat quam res ad vitam necessarias, vinum scilicet, oleum, frumentumque (1). Massilia vero, quemadmodum olim urbes Phœniciæ, soli infecunditatem civium artibus, mercatorumque diligentia pensabat. Per optimam enim reipublicæ administrationem, per civium liberalitatem, suique portus, sive catapli, securitatem, mox fere totum Mediterranei maris commercium in se cœgerat, adeo ut Byzantinus Agathias de illa tunc dixerit : « φαίνεται δέ κοίνον οὐ μά α τ'άξιας τῶν παλαιῶν ἀκητόρων καταδεεστέρα (2). » Quod vero præcipue Massiliæ prosperitatem augebat, erat fiducia mercatorum, merciumque custodia. Albinus enim prætor (3) non modo Virgilii archidiaconi homines, qui septuaginta olei liquaminisque dolia furati erant a transmarinis negotiatoribus, severe puniebat, sed et ipsi archidiacono, qui excusare et celare furtum voluerat, mulctam quatuor et millia solidorum irrogabat. Atque ideo negotiatores, quibus tutum patebat confugium, confluebant, ex Oriente præcipue, qui papyrum Ægypti, aut vina (4) Gazetica, aut species (5) margaritasve Indiæ ferebant, et inde per totam Franciam diffundebant. Massiliam vero, haud secus ac hodie interdum civibus exhauriebant morbi publice

(1) Strabo. IV, init. — Justin. XLII, 4. — Athenæus. I, 27.
(2) Agathias. I, 13.
(3) Greg. Tur. IV, 44.
(4) Id. V. s.
(5) Cangius. op. cit. species.

grassantes, pestis præcipue quæ depopulationem, mirum in modum, urbi miseræ inferebat; sicuti refert Gregorius Turonensis (1) : « interea navis ab Hispania cum negotio ad portum Massiliam depulsa est, quæ hujus morbi fomitem secum nequiter deferebat. De qua cum multi civium mercarentur, una confestim domus, in qna octo animæ erant, hoc contagio interfectis habitatoribus, relicta est. Nec statim hoc incendium luis per domos spargitur totas, sed interrupti certi temporis spatio, ac velut in segetem flamma accensa, urbem totam conflagravit. sed et multis vicibus deinceps ab hoc interitu gravata est. »

Quamvis Massilia fere totum Mediterranei maris commercium in se jam cogeret, non est tamen ut omitamus Portum (2) inter Magalonensium et Nemausensium fines, ubi concilium anno MCCCLXXXVII fuit convocatnm, Magalonam ipsam hodie dirutam, tunc florentem, si Theodulfo credimus, et præcipue Agatham, veterem Massiliæ coloniam, Judæorum multorum sedem, quamvis ejus portus difficilimus aditus esset (3). Haud procul ab Agatha, ex amplo statu conciderat Narbona. Non enim jam tempus erat quo divitias ejus sic Ausonius celebrabat (4).

...Quis memorat pontesque tuos lacusque ?
Quis populos vario discrimine vestis et oris?
...Te maris Æoi merces et Iberica ditant
Æquora... te classes Lybici, Siculique profundi,
Et quidquid vario per flumina per freta cursu
Attrahitur, toto tibi navigat orbe κατάπλους.

In eam tamen synodi et concilia interdum conveniebant (5). in ea missi dominici populis et sacerdotibus dabant jura (6), in ea demum non pauci Judæi sedem constituerant, sicuti demonstrant diplomata Ludovici Pii pro Judæis Septimaniæ. Tota igitur illa regio Mediterranei maris commercio vacabat.

(1) CANGIUS. X, 25.
(2) BOUQUET. IX, III. Ex vita S. Theodardi archiepiscopi Narbonensis.
(3) GREG. TUR. VI. 2.
(4) AUSONIUS. Ordo nobilium urbium.
(5) (791, 861, 862).
(6) Iter THÉODULFI. BOUQUET. V, 416.

Nullum aliud sit argumentum quam enumeratio rerum quas Theodulfo offerunt nonnulli, ut ejus fidem labefaciant, cristallinos videlicet cyathos (1), margaritas, aureos solidos cum litteris Sarracenis, mantelia variis coloribus tincta quæ fabricant Arabes, cx argenteas pateras intrinsecus auratas, extrinsecus autem per sulfur nigras, arma, pelles ex Corduba, omnia profecto quæ denuntiant meridionalis Franciæ commercium cum gentibus remotissimis.

Portus Oceani.

Quod si autem ad portus Oceani transimus, Burdigalam ante omnes reperiemus, urbem jamdudum Baccho insignem (2), et ad ostia fluminis nonnullas civitates, quarum una præcipue, Condates, veluti emporium erat Lemovicii et Cadurcini pagi (3). Fama quoque refert ex illo jam tempore a Ludovico Pio constructam fuisse in scopulo Cordouani turrem in qua præpositi homines buccina sonabant ad avertendos nautas. Namnetibus, quæ sub Romanis eminebant, bellorum infortunia non pepercerant (4). Non enim modo Saxones annis CCCCLXVIII et DLXXIX, sed Normanni quoque eas quinquies ferro et incendiis depopulati diripuerunt (5). Ut damna resarciat misera hæc civitas, et quasi renascatur post excidium, necesse erit novi duces Aremoricæ valeant auctoritate, regionique desolatæ securitatem reddant. Pagus autem Aletensis (6), navium constructione et nautarum audacia adeo florebat ut monetas suo nomine signaret, et regnante Karolo Calvo (7), ejus incolæ novam fundaverunt civitatem haud procul a sua, quæ sub nomine ac tutela episcopi Macluvii mox in tantam crescere gloriam et famam debebat, quæque suorum civium temeritatem veluti prænuntiabat, quippe qui incognitis Oceani periculis obviam ire non dubitarent.

(1) Ut supra. — (2) AUSONIUS. Ordo nobilium urbium. — (3) Id.
(4) LOBINEAU. Histoire de Bretagne. Paris, 1707, 2 volumes in-folio. p. 15, 38.
(5) An 843, 852, 877. 918, 952. LOBINEAU. 38, 52, 78, 82.
(6) Bollandistes, 16 mai, III, p. 599.
(7) LEBLANC. Traité des monnaies françaises.

Rotomagus, sicut Namnetes, ab antiqua prosperitate destituta erat. Ex quo enim Normanni eam occupavere anno DCCCXLI, nil aliud erit quam via facilis oppidumque barbarorum, donec miseram civitatem Rollo suæ ditionis faciat.

Quod si autem tot civitates hodie claræ tunc ignotæ erant, una urbs tamen exstat regnantibus Karolinis celeberrima, de cujus situ dissentiunt hodie eruditi. Wici enim aut potius Quantowici portum alii (1) Etaples, alii (2) autem Canches esse volunt, adeo in vanum cessit fortuna hujusce urbis! Quantowicum, sicut hodie Caletum aut Bononiam, non modo præ aliis urbibus adibant Angli pro commercio, sed etiam, valetudinis causa, utpote balneorum stationem (3). Mox ad id prosperitatis pervenit Quantowicus ut in ea, anno DCCLXXXVIII, Karolus Magnus instituerit procuratorem pro regni commercio (4), qui per diversos portus et maritimas civitates exigeret tributa. Gervoldus, primus procurator creatus, successorem habuit, quem Annales Bertiniani designant titulo præfecti emporii. Eadem quantowici permansit prosperitas, regnante Ludovico Pio, qui quidem immunitates ei concessit (5). Karolus Calvus quoque, ut ad avorum decreta se accommodaret, Quantowicum designavit unum e tribus monetariis regni (6). Ipsi S. Germani Parisiensis servi wicarias nominabant merces quas ad hunc portum dirigebant (7). Quæ causa est igitur cor subito diruta fuerit urbs gloriosa? Nulla prorsus alia quam Normannorum incursiones (8) qui bis eam occupavere, annis DCCCXLII et DCCCXLIV. Ex illo enim tempore memoria hominum delapsus est Quantowicus, et adhuc jaceret ignotus, ni scriptores memoriam ejus conservassent.

(1) DAUNOU. Journal des savants, mars 1831.
(2) GUÉRARD. Polyptique d'Irminon.
(3) BOUQUET. III, 580. « et perduxit eum ad portum cui nomem est Quantowic, ubi fatigatus infirmitate aliquantisper moratus est, et cum cœpit convalescere, navigavit in Britanniam. »
(4) BOUQUET. V, 315.
(5) BOUQ. VI, 572, 649 (an 832 et 845). « ut ubicunque, per civitates, castella, aut trajectus, aut portus excepto Quantowico... nullum teloneum quisquam administrator ab eis (hominibus nempe Argentoratensis cclesiæ) exigeret. »
(6) BAL. II, 178, édit. Pist (864), 12.
(7) GUÉRARD. Polyptique d'Irminon.
(8) Annales Bertiniani. — Nithard. IV, 2.

Urbs vicina, Bononia, olim Itius Portus, Quantowici heres fuisse videtur; eo magis quo diligentius Karolini ejus commodis fatisque inservierunt. Karolus enim Magnus supra ruinas turris, quam Caligula ad regendos (1) navium cursus excitaverat, pharum instaurari, ibique nocturnum ignem accendi jussit (2). Sub regno Karoli Simplicis, Bononiæ comes Erkengarius operam dedit ut civitas mænibus cingeretur, navesque protegerentur (3). Atque ideo inter Angliam et Franciam quasi vinculum mox facta est, ejusque incolæ divitiis et prosperitate eminuerunt (4).

Restat ut nominemus Deuerstadum quæ fuerat olim, ut credunt, Wicus Batavorum, nunc autem Wyk-te-Deuerstedte exstat. In hac urbe, quæ quinquaginta et quinque ecclesias continebat, reges collocaverant missos et monetaria instituerant (5). Ejus autem non longa fuit felicitas : nempe Normanni sæpius eam depopulati sunt, atque ideo subiit oblivionem, neque unquam rediviva evasit.

Tales igitur erant præcipui Franciæ portus, quos adibant advenæ. Nunc autem Francos in alias regiones sequamur, quæque commercii vincula inter patriam aliasque gentes, seu christianas, seu religionem Mahumedi colentes, exsisterent videamus.

(1) Suetonius. Calig. 36.
(2) Bouq. V, 61, 233, 260, 323. — Chronic. Adon 811. — Aimonini. IV. 99. — Annales Francorum, — Annales Metenses. — Egger. Revue archéologique 1863, p. 431. — Morand. Année historique de Boulogne-sur-Mer, 29 juillet. — Baluze. I, 494.
(3) Surius. 5 fév. 914 vit. S. Bert. 21, 22.
(4) Bouq. IX, 65. Chronic. Alberic.
(5) Id. VI, 329. Ex actis S. Friderici episcopi de Lud. Pio.

CAPUT IV

De populis cum quibus exercebatur commercium

I. DE POPULIS CHRISTIANIS

De Anglis.

Cum populis vicinis præcipue, Anglos dico, Germanos, Italos, Hispanosque, Franci commercium exercebant.

In Anglia tunc omnia confusa perturbataque erant. Ex quo enim Cæsar invaserat Britanniam, barbaræ gentes miseram hanc regionem vicissim diripiebant, ideoque Anglia infelix, nondum pacis otiique compos, commercio non indulgebat. Regnante autem Offa, rege Merciorum, Francia et Anglia, per regum amicitiam, non omnino alienæ evaserunt (1). Exstant enim Karoli Magni ad Offam epistolæ de sibi subjecto Longobardum rege ducibusque Saxoniæ, et de peregrinis Anglis qui Romam ire cupiunt; et benigne ab eo erunt excepti : « sed si aliqui, non religioni servientes, sed lucrum sectantes, inter eos inveniantur, locis opportunis statuta solvant telonea. » Neque parvus (2) erat eorum numerus, quum urbis Romæ una pars vocata fuerit vicus Saxonum, et hodie nominetur Sassia.

Non autem semper eadem mansit regum amicitia. Karolus enim unum e nothis suis maritum dare voluit filiæ Offæ, qui quidem id accepit (3), ea autem lege ut ejus filius Bertham, Karoli filiam, nuberet. Quod ægre ferens Karolus, præcepit « ut nemo de Britannia insula ac gente Anglorum, mercimo-

(1) Bouq. V, 620, 626. — Bal. I, 194, 273.
(2) Montalembert. Moines d'Occident, VI, 139. — Cf. epistola Hadriani papæ ad Karolum Magnum de missis Offæ una cum missis Karoli honorabiliter Romæ exceptis. Bouq. V, 589.
(3) Bouq. V. 315, chronic. Fontan. (788).

nii causa, littus Oceani maris attingeret in Galliam. » (1), iram autem mox posuit. Gervoldus enim, procurator commercii in Quantowico, qui prorsus, magis ac quivis alius, talem interdictionem duabus gentibus pariter nocere intelligebat, ita precibus consiliisque usus est, ut Anglis iterum pateret aditus Franciæ (2).

Quas, ea tempestate, emeremus in Anglia merces arduum est indicare. Nil enim de hac re reliquerunt scriptores. Verisimile tamen ex Anglia tunc exportari pelles ferinas, crassos ac viles pannos, et libros præcipue a monachis transcriptos (3). Ubi vero, mortuis Offa et Karolo, Normanni Angliam Franciamque sunt depopulati, fere omnino cessavit commercium (4), et cessabit, donec Rollo Neustriam fecerit suam et unus e successoribus ejus, Guillelmus, una rex Angliæ et dux Neustriæ evaserit.

De Germanis.

Haud secus commercium Franciæ cum Germania fere nullum exstabat. Germani enim, sine viis, sine urbibus velut in tempore Taciti (5), lingua et moribus dissimiles, memoriam non amiserant crudelitatis Francorum, libertatisque cupidi, Karoli Magni beneficia flocci ducebant. Imperator tamen per silvas itinera creaverat, urbes et ecclesias fundaverat, immensisque operibus sibi Germanorum animos conciliare tentaverat, duobus præcipue, quæ pertinent ad commercium, pontem dico Moguntiacum, et fossam inter Rhenum Danubiumque.

Karoli enim in animo fuit jungere Rhenum ponte ante Moguntiacum ; qui quidem (6) quingentorum passuum in

(1) Quam ad iram alludit Alcuinus scribendo : « Aliquid dissensionis... nuper inter regem Karolum et regem Offam exortum est, ita ut utrinque navigatio interdicta negotiantibus esset. » Bouq. V, 607.
(2) Bouq. V, 315.
(3) Epist. Alcuini : Bouq. V, 605.
(4) Ludovico tamen Transmarino regnante, Anglos adivisse Franciam sœpius credere est : quod autem non longum.
(5) Tacit. Germ. XVI.
(6) Einhard. Teulet. I, 56, 98. — Mariani chron. 813. Bouquet. V, 370.

longitudinem ingente labore constructus fuit per decem annos : mirum profecto opus, si laboris immensitatem, instrumentaque imperfecta consideres. Pontem vero qui velut æterno commercii vinculo Germaniam et Franciam jungere debebat, anno DCCCXIII, incendium subitum tribus horis adeo conflagravit « ut ne hastula quidem de eo remanserit. » Si credendum est Mariani chronico, ipse jussit incendium Archiepiscopus Moguntinus Richolfus, quia latrones nocturni, hominibus in Rhenum projectis, prædam in eum rapiebant. Quanto melius mehercule si, latronibus disturbatis pontem conservasset ! Karolus autem, quem non latebat utilitas, imo necessitas operis, eum pro ligneo lapideum refici decrevit. Tempus autem defuit, debilesque magni imperatoris successores a tali consilio destiterunt.

(1) Aliud consilium, grand profecto, tantoque regno non indignum, fuerat Rhenum et Danubium, ideoque mare Nigrum et Oceanum jungere, perque mediam Europam veluti publicam viam aperire populis et negotiatoribus. Anno DCCXCIII Radantiam quæ in Mænum et Almonem qui in Danubium devolvuntur quasi miscere decrevit (2), et, congregata hominum multitudine, totum tempus in eo opere consumpsit, adeo ut brevi fossa ducta sit duorum millium passuum longitudine, latitudine ter centum pedes (3). Sed pluviæ ingentes ineunte anno sequente, terram quæ palustris erat tanto humore imbuerunt, ut opus incœptum consistere nequiverit. « Sed quantum interdiu terræ a fossoribus erat egestum, tantum noctibus, humo iterum relabente, in suum locum subsidebat. » Ea autem tempestate Saxonibus et Sarracenis rursum rebellantibus, necesse fuit Karolus ad arma rueret, sed, ut voluntatem manifestius declararet, Almonem adversum subivit, pedes fecit iter ad Radantiam, et inde descendit in Mænum (4). Bella autem perpetua, successorumque dis-

(1) SCHŒPFLIN. Mémoire sur la jonction du Danube et du Rhin projeté par Charlemagne. Ac. d. Inscrip. année 1753, t. XVIII, p. 256. — CAPEFIGUE. Hist. de Charlemagne. I, 82.
(2) Hodie vocantur Rezat. — Altmühl.
(3) EINHARD. Annal. 793. BOUQ. V. 211. Cf. Annal. Fuld. Lorsch. Moissac. an 793. — Poet Saxon.
(4) EINHARD. Bouquet V. 211.

cordiæ, et Hungarorum incursiones inutile et imperfectum opus effecerunt. Etiamnunc exstant informia rudera, aggeres scilicet continuati usque ad urbem Dettenheim, ubi fons Radantiæ, fossæque quæ vico Graben dedere nomen.

Vana igitur et inania evasere Karoli Magni consilia. Suum enim Germani detestabantur victorem, et dona ferentem. Quod ipse intellexisse videtur imperator, quippe qui Saxoniam non modo libertate sed etiam commercio privaverit per famosa capitularia (1) : « De negotiatoribus qui partibus Sclavorum et Avarorum pergunt, quousque procedere debeant cum suis negotiis, id est partibus Saxoniæ usque ad Bardewich.., et ad Schesta..., Magadoburg, Erpisfurt, Foracheim, Breemberg, Ragenisburg, et ad Lauriacum. Et ut arma et bruinas non ducant ad venundandum. Quod si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus palatii, alia vero medietas inter jam dictos missos et inventorem dividatur. »

De Italia.

Quæ quum ita sint inter Angliam Germaniamque et Franciam fere nullum exstitit commercium. Haud ita vero, quod ad Italiam spectabat, res sese habuit : Non enim modo per quinquaginta annos ab eodem rege perque unum sæculum ab eadem familia gubernatæ, sed etiam propter linguæ, religionis morumque similitudines erant junctæ. Inde frequentiora negotiatorum itinera, inde nonnullarum urbium prosperitas, quæ divitiis et commercio ad id potentiæ mox pervenerunt, ut liberæ respublicæ factæ sint.

Romam ante alias urbes nostri frequentabant negotiatores. Quum enim Karolini papæque mutuo necessitatis vinculo sociati essent, sese invicem sustinebant, ideoque negotiatoribus et commercio favebant. Alia etiam causa, peregrinationibus scilicet, Romam sœpe nostri cives adibant, sedem ecclesiæ martyrum sanguine illustratam, perpetuumque re-

(1) Baluze. I, 425, cap. 2 (805) 7. — I, 431, cap. 3 (805) 9.

ligionis testimonium. Karolus Magnus ipse colebat præ cæteris ecclesiis templum in urbe Roma beati Petri Apostoli, et magnam vim pecuniæ, nec non et gemmarum in eo congessit (1) : « Nil duxit antiquius quam ut urbs Roma sua opera suoque labore vetere polleret auctoritate. » Atque ideo multi ex Francia, et remotissimi, Britones scilicet, Romam petebant : In chartulario enim Rotonensi sœpe legimus (2) : « vovimus ire Romam orationis gratia. » Necesse igitur fiebat peregrinos protegere, nunc privatorum, nunc regum cura. Quintilianus quidam (3) pro Britonibus xenodochia ædificari jusserat. Reges quoque non modo peregrinos legibus tutabantur, sed etiam in locis aridissimis hospitia pro eis ponebant, quorum nonnulla hactenus illustria manserunt, monasteria scilicet per Alpes sita, ad quæ alludit Hadrianus papa in epistola ad Karolum Magnum (4) : « Una cum hospitalibus qui per colles Alpium siti sunt pro peregrinorum susceptione poscimus ut a nulla magna parvaque persona quamlibet invasionem pati vestra eximia sinat clementia. »

Non est tamen ut omnino miremur talem erga peregrinos caritatem. Non deerant enim qui, religionis causa, suis unice inservirent eommodis, et commercium tuti ac tranquilli exercerent. Barbaris enim gentibus valde placebat vagari pietatis nomine, et ubique hospitaliter et gratuito excipi. Inde multa emendanda : Ipse Karolus Magnus, quamvis « amaret peregrinos, et in eis suscipiendis magnam haberet curam (5), » quum eorum multitudo non solum palatio verum etiam regno onerosa videretur, in eos severam edidit legem (6) : « Non sinantur vagari isti nudi cum ferro qui dicunt se, data pœnitentia, ire vagantes. Melius videtur ut si aliquid inconsultum et capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes et servientes et pœnitentiam agentes secundum quod canonice sibi impositum sit. » Mox autem a

(1) EINHARD, Teulet. I, 86.
(2) Cartulaire de Redon passim.
(3) Acta Bened. II, 63, § 7.
(4) BOUQUET. V, 585.
(5) EINHARD. Teulet. I, 70.
(6) BALUZE. I, 239, cap I (789), 77.

peregrinis tributa petere pro antiquis immunitatibus in consuetudinem vertit. Documento sit S. Victoris Massiliæ chartularium in quo legimus uti Itali aliive pergentes ad Sanctum Jacobum octo denarias si equites, tres si pedites exsolvent in urbe Tarascone, Hispani autem aut Angli Germanive Romam euntes quinque denarios (1).

Romam igitur peregrini non modo pietatis sed etiam commercii causa visitabant. Roma enim tunc temporis, haud secus ac hodie, magna et fere unica erat officina sanctarum reliquiarum e catacumbis extractarum, quas avidius conquirebant omnes, quasque papæ nunc dono dabant, nunc, veluti merces magni pretii, vendebant. Documento sint papa Paulus qui Fulrado abbati S. Dyonisii (anno DCCCLXII) corpora concessit Hippolyti et Alexandri gratuito (2), Hadrianusque papa qui, anno DCCCLXXIV, Salomoni duci Aremoricæ misit brachium S. Leonis Martyris (3) pro statua aurea miræ magnitudinis cum lapidibus diversi generis, et mulo cum freno et sella, et corona aurea lapillis adornata pretiosis, et triginta camsillis, et triginta laneis drapis variis coloribus intertinctis cum triginta cervinis pellibus. Quinetiam ipsi sacerdotes sine scrupulo furabantur reliquias. Quod testatur historia ab Einhardo scripta translationis S. Marcellini et S. Petri (4). Monachus enim quidam dixerat Einhardo se habere Romæ plurimas sanctorum reliquias quarum partem erat daturus, si adjutorio ejus fultus Romam reverti posset. Quod lœtus audivit et accepit Einhardus. Monachus autem abbatisque legatus, reliquiis non inventis, alias clam subripuerunt. Sed ipsi quoque in Francia spoliati fuerunt a sacerdote, qui, sicuti candidus narrat scriptor « ratus sibi data occasione utendum surrexit, atque accenso lumine ad scrinia silenter accessit. (5) »

Alio commercii genere fere simili Italia tunc temporis flo-

(1) GUÉRARD. Cartulaire de Saint Victor de Marseille, introd. p. LII.
(2) Annal. Bened. sœc 4 part. I, 523.
(3) Cartulaire de Redon, p. 67-8.
(4) EINHARD. Teulet. II 176, sqq. — Bolland. t. I, de juin, 81, sqq.
(5) EINHARD. Teulet. II, 284.

rebat, rerum scilicet opere antiquo perfectarum. Haud secus et hodie res sese habet. Karolinis autem regnantibus hæc non fabricata sed vere antiqua erant. Nempe Italia tot monumentis, tot statuis, columnis, marmoribus, vermiculatisque operibus cooperta fuerat, ut eorum numerosa grandiaque permanerent vestigia. Quibus barbari Italiæ victores, quum ea mirarentur sed imitari nequirent, veluti præda potiti sunt, quemadmodum ipsi Romani victores olim Græcarum artium miraculis raptis urbem ornaverant. Tunc Ravennæ marmora et columnæ subrustica et enormia Aquisgrani palatia ditaverunt (1) : Tunc Angilbertus Centulensis abbas Romam mittebat legatos qui detraherent ad exornandum suam ecclesiam marmora et columnas (2).

Ergo ex Italia nostri cives, ea tempestate, præcipue extrahebant gloriæ prœteritæ reliquias, sancta scilicet cadavera aut artium monumenta : non est tamen ut omittamus urbes cum quibus exercebatur aliud commercii genus, nempe servorum, non semper licitum. Servitus enim in Italia altis radicibus adeo defixa erat ut, ecclesiæ precibus neglectis, neglectis paparum exemplo et auctoritate (3), mancipiorum mercatores odioso commercio indulgerent impune. Imo papæ ipsi, sinon favebant mercatoribus, at saltem eos tranquillos et tutos linquebant. Superest enim epistola Hadriani ad Karolum Magnum qua sese purgat de venalitate mancipiorum venumdatorum Sarracenis per Romanos (4) : rem prorsus arduam; quipp qui incipiat lenociniis verborum, remque per ambages aggrediatur, culpamque in alios transferre conetur « sed in litoraria Langobardorum, ait, semper navigarunt non dicendi Græci, et exinde emebant ipsam familiam. A quibus et direximus Alloni Duci ut præpararet plura navigia, et comprehenderet jam dictos Græcos, et naves eorum incendiis concremaret. Sed noluit nostris obtemperare mandatis, quia nos nec navigia habemus, nec nautas, qui eos

(1) Epistola Hadriani papæ ad Karolum Magnum. BOUQUET. V, 581-89.
(2) Annal. Bened. II, 330.
(3) ANASTASIUS. Bibliot. Vita Zachariæ papæ.
(4) BOUQUET. V, 557.

comprehendere potuissent. » Veneti quoque, magis quam Græci, tali inserviebant commercio, præcipue cum Orientis populis, ideoque in se converterant odium vicinorum. Sed, jussu Karoli Magni de Ravennæ et Pentapoleos partibus detrusi fuerunt ab Hadriano papa, commercioque, sed non in longum tempus, privati (1).

De Hispania.

Raræ cum alia regione pariter vicina, Christianam dico Hispaniam, erant commercii occasiones. Quod si enim Karolus Magnus Hadefonsum, Gallitiæ regem, adeo sibi devinxit, ut eum non aliter quam imperatoris proprium appellari jusserit (2), non ita successores ejus Karolinorum amicitiam aucupati sunt : quippe qui bellis contra Sarracenos impediti commercium parum curarent, quemadmodum nepotes Karoli Magni, bellis contra proceres irretiti, cum regibus Hispaniæ non valuerunt exercere amicitiam.

Erant tamen peregrini qui de Hispania per Franciam petebant Romam, aut de Francia S. Jacobum Compostellanum ; mutuumque a regibus requirebant auxilium. Erant quoque Hispani qui, depulsi a Sarracenis, terras a regibus Franciæ diplomataque possessionis obtinebant (3) : Hæc autem non ad commercium spectant.

Gentes hactenus enumeravimus vicinas (4), catholicæque fidei addictas, ideoque ad commercium promptas : Nunc autem transeamus ad gentes remotiores, et in catholicam fidem nondum contumaces, sed auctoritatem papæ jamdudum ægre ferentes, ideoque rarius visitatas a negotiatoribus, Græcos scilicet.

(1) Bouq. V, 588, ep. Hadr. ad Kar.
(2) Einhard. Teulet. I, 50.
(3) Præceptum Karoli Calvi pro quib hisp. 844. Bal. II, 1444.
(4) Ex Hispania tamen, tunc temporis, equos æstimabant. Cf. Wace (roman du rou), t. II, p. 193. Suen buen cheval, fist demander. — Ne poeit l'en meillor trover. — D'Espaigne li ont enveié — Un reis par mult grant amistié.

De Græcis.

Imperatores Byzantini qui quidem, utpote legitimi Cæsarum successores, parvi faciebant ceteros reges, Meroveisque olim diplomata suppeditaverant quasi provincialibus, ut ita dicam, tributariisque regibus, novum Karolinorum genus contemnebant. Quando vero Franci Ravennam, Beneventum aliasque græcas urbes suæ ditionis fecere, Byzantini imperatores eos magis cognoverunt, non autem sine odio. Erat enim eis Francorum adeo suspecta potentia ut proverbium (1) esset : Τὸν Φραγκὸν φίλον ἔχῃς γείτονα οὐκ. Franci quoque Græcos non amabant, mirabantur tamen eorum artes, vitamque delicatam et imperii dignitatem, quo modo novi homines familias nobiles licet, semirutas, reverentur.

Neminem profecto latet matrimonium aliquamdiu agitatum fuisse inter Irenam imperatricem Karolumque Magnum. Grande prorsus consilium : Nempe, sub eodem dominatu partibus Orientis et Occidentis coujunctis, imperium Romanum fuisset renovatum, populique Christiani sese iterum dedissent tranquilli commercio (2). Res autem irrita evasit. Non enim sinceras matrimonii afferebant conditiones aut Irenæ aut Karoli legati : Nicephorus tamen, quando Irenam regno detrusit, timens ne Karolus causam ejus susciperet, ad eum misit bis legatos, qui, forma ac specie orationis mutata, eum non jam regem sed imperatorem, non fratrem sed patrem vocabant (3). Hæc autem de commercio inania; nunquam enim imperatores utilitatibus negotiatorum inserviebant. Quinetiam mox tales, nisi cum Italicis Karolinis, cessavere (4) legationes, piratæque utriusque gentis adeo suam artem exercuerunt ut commercium inter Franciam et Constantinopolim perierit totum.

Non est tamen ut ea sileamus quæ nostri negotiatores,

(1) Einhard. Teulet. I, 54.
(2) Einhard. Teulet. I, 238, 258, 254. — Bouq. V, 188, ex Theophanis chronico. an 802.
(3) Bouq. V, 631.
(4) Notandæ tamen legationes Amalarii et Petri Nonantulæ ad Nicephorum. Einh. I, 300, aliæque, Cf. Bouquet. VI, 97, 99, 109, 201, 202, etc.

florente adhuc commercio, ex his regionibus peterent : ebur scilicet ad librorum compactionem, manuscripta (1), ornamenta sacris capsis destinata, sericas vestes, tapetesque acu pictos, omnia uno verbo quæ, et hodie, ex Orientalibus regionibus delata miramur.

De Russis.

Haud procul a Græcis, e populo tunc ignoto, Russis videlicet, Ludovicus Pius accepit legatos. Annales Bertiniani (2) narrant, anno DCCCXXIX, una cum legatis Theophili imperatoris venisse alios, qui se Rhos vocari dicebant, quorumque rex, Chacanus, Francorum amicitiam petebat. Mira prorsus occasio occurebat regiones investigandi parum notas, nostrisque negotiatoribus novas monstrandi vias : Ludovicus autem eos exploratores potius quam amicitiæ petitores judicavit, eosque penes se retinendos jussit, quoad veraciter inveniri posset, utrum fideliter nec ne in Franciam pervenerint ; eos denique, tanquam Suenones, ad Theophilum dimisit, talemque legationem dedignatus est : immerito quidem ; nempe gens illa Franciæ auxilio, humanum civilemque cultum suscepisset brevius , nostramque per Orientales regiones fundavisset auctoritatem. Quod vero non intellexisse videntur Karolini : Quippe qui non modo Russorum amicitiam rejecerint, sed etiam cum Sclavonibus, qui olim regem habuerant mercatorem, Francum Samonem (3), nullas fecerint consuetudines.

II. DE POPULIS RELIGIONEM MAHUMEDIS COLENTIBUS

De Sarracenis Asiæ.

Franciæ negotiatores in Europa Orientali frigide exceptos vidimus. Cum Sarracenis autem, etsi Mahumedis asseclis,

(1) MABILLON. Traité de la diplomatique.
(2) BOUQ. VI. 201. 202. — Haud equidem diffiteor Russos tunc falsis numinibus addictos : Cf. LÉGER. Cyrille et Méthode. Unice propter finitima imperia eos post græcos enumero.
(3) FREDEGARII chronicon 48. — AIMOIN 9.

regionesque remotas colentibus, frequenter negotiati sunt. Imo reges nostri cum eorum principibus, præcipue cum Abbassidis, sese junxerant fœderibus (1).

Quomodo Massilia Syris Ægyptisque jamdudum referta erat, ita Alexandria Massiliæ mercatores continebat (2), qui pretiosas merces, ebur, margaritas, gemmas, species, imo psittacos et simias avesque versicolores in ea urbe emebant, et inde per Franciam transportabant (3) : nostri tamen inveniebant æmulos, discordiasque ferro dijudicabant, si credendum est Adonis chronico referentis Parisinos et Venetos Alexandriæ ad manus et ad pugnam venisse (4). Causa vero præcipua propter quam Franci regiones a Sarracenis possessas adirent erat numerus peregrinorum in dies major. Documento sit iter Willibaldi et Winebaldi (5) qui detrusi in carcerem utpote exploratores fuerunt bene tractati et insuper liberati a mercatoribus christianis; quique super Jordanis fluvium extensum ex utraque ripa viderunt funem quo facilius in sanctas undas sese immergerent infirmi peregrini.

Necesse igitur evadebat reges christiani suos cives protegerent. Primus, seu ut cives tutaretur seu amicitiam cum Sarracenis in Græcos formaret, Pippinus misit legationem regi Persarum Amorumni, et ab eo legatos accepit, qui usque ad Mettensem civitatem pervenerunt (6). Hæc autem amicitia non firma fuisse videtur : nil enim aliud reperire est quo renovata inter Sarracenis Christianosque commercia affirmare queas.

Non ita vero sese res habuit pro Karolo Magno : Imperator enim Occidentis et imperator Orientis Aaron sese mutuis

(1) De Guignes. État du commerce des Français en Orient avant les Croisades. — De Pouqueville. Mémoire sur les établissements français au Levant, depuis l'an 500 de J.-C. jusqu'à la fin du XVIII[e] siècle. — Depping. op. cit. Charri, id.

(2) De Guignes. op. cit. p. 2.

(3) Cosmas Indicopleustes. Topographia Christiana. Descriptio Alexandriæ.

(4) Bouq. II. 19, in loco commentitio : nempe pro Parisis et Venetis forsan legendum est Prasinos et Venedos, scilicet les bleus et les verts, duas quidem partes quibus laborabat Constantinopolis.

(5) Annales S. Bened. II, 61, s. q. q.

(6) Bouq. V, 8, Cartin. Fredeg. (768).

fœderibus junxerunt. Nil enim mirum si vir ille qui totam fere Europam suæ ditionis fecerat, eamque, miscendo barbariem Romanis institutis, renovaverat, sui pretii æstimaret virum illum qui totum Orientem suo nomine impleverat. Alia quoque exstat causa, necessitatem dico, quæ talem confirmare debebat amicitiam : Haron enim et Karolus, qui quidem ambo invidebant Cæsaribus Constantinopolitanis, communi odio juncti, suis mutuo inserviebant commodis sanciendo fœdera. Atqui nullus ignorat eas ante alias firmas et solidas esse amicitias, quæ pariter in opinione et necessitate nitantur. Sunt, fateor, qui Karoli et Aaron amicitiam infitias ire non dubitent, propterea quod eam siluerint scriptores Arabum (1), et legatos Aaron nil aliud esse asseverent quam monachos Hierosolymitanos qui, anno DCCXCIX, a patriarcha Georgio missi, Karolo reliquias portaverint, donisque onerati ab imperatore ei dederint insuper vexillum cum clavis S. Sepulchri : Quum vero Christiani auctores de hac re unanimem attulerint sententiam, talia argumenta evadunt inania : Id solum agnoscendum videtur, Karoli et Aaron æquales, hos inter potentissimos temporis principes amicitia attonitos, eam fortasse auxisse, posterosque multa super addidisse. Inde ea discernenda quæ spectant ad historiam, et ea quæ ad fabulam.

Quod ad historiam attinet, Karolus, anno DCCCI, accepisse videtur ab Aaron elephantum, nomine Aboulabbas, qui in Italiam appulit anno sequenti et anno DCCCX mortuus est (2). Anno DCCVII, Ratbertum misit (3), qui rediit cum legatis Aaron deferentibus imperatori papilionem et tentoria byssina vario colore simul cum funibus pari ordine distinctis, pallia serica, balsamum et odores atque unguenta, sed et horologium ex orichalco compositum, (4) in quo duodecim horarum

(1) DE POUQUEVILLE, p. 529.
(2) EINHARD, Teulet. I, 52. — Adon chronic. 801. Bouquet. V, 321. Annal. Franc. 810. Bouquet. V. 59.
(3) Chronic. Adon 807. Bouq. V, 322. — Poet. Sax. III. 550. BOUQUET, V, 614.
(4) FALCONET. Académie d. Iinscript. et B. L. (1745). Dissertation sur Jacques de Dondis surnommé Horologius.

cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem œreis pillulis, quæ ad completionem horarum decidebant, et casu suo subjectum cymbalum tinnire faciebant. Per idem tempus Aaron (1) ferunt dedisse Karolo claves S. Sepulchri. Rem prorsus verisimilem. Quum enim duo imperia non essent contermina, quumque per amicitiam sibi, mutuo inservirent, multa invicem concedebant sibi. Aaron igitur Karolo forsan dedit facultatem adeundi, ut libebat, sancta loca. Ea tempestate, ut videtur, Karolus jussit xenodochia reparari, si capitulario anni DCCCX credimus (2), « de eleemosyna mittenda ad Jerusalem propter ecclesias Dei reparandas, » et ecclesiam ædificari quam, non multo post, monachus peregrinus Bernardus his mirabatur verbis : » Ibi, ait, habetur hospitale in quo snscipiuntur omnes qui, causa devotionis, illum adeunt locum linguam loquentes latinam. Cui adjacet ecclesia, in honore S. Mariæ, nobilissimam habens bibliothecam studio prædicti imperatoris, habens quoque vasa sacra, vineasque et oliveta » (4). Prope ecclesiam mercatus florebat quo negotiatores Christiani conveniebant, proque levissimo tributo suas venumdabant merces. Non est tamen quod credas Hierosolymam in possessione Franciæ esse : verum sicuti, jure quidem, scribebat Guillelmus Tyri archiepiscopus (5) : « Tunc... plebi Dei tranquillitas præstita est, et favor principis clementer indultus ad multam consolationem, adeo ut magis sub imperatore Karolo quam sub dicto principe degere viderentur. »

Quod ad fabulam attinet, nil magis ornaverunt poetæ (6) quam hanc falsam Palestinæ cessionem : Einhardus profecto dixerat (7) : « Cum legati, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Salvatoris nostri Sepulchrum locumque resurrectionis misisset ad Aaron, venissent, et ei domini sui voluntatem indicassent, non solum quæ petebantur fieri

(1) Bouquet. V, 321. — Poet. Saxon. V, 502. — Bouquet. V, 181.
(2) Baluze. I, 474, cap, 1 (810), 17.
(3) Annal, S. Bened. II, 165.
(4) Bouquet. IX, 295. — Spicilegium. II, 372.
(5) Guillel. Tyr. I, 3.
(6) G. Paris. Histoire poétique de Charlemagne. Paris. 1865, 1 vol. 8°.
(7) Einhard. Teulet. I, 52.

permisit, sed etiam sacrum illum et salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit. » Haud aliter poeta Saxo (1):

> Ascribique locum sanctum Hieresolymorum
> Concessit Karoli propriæ semper ditioni.

Rem vero ad verbum accepere vates, et Karolum non modo Hierosolymæ victorem sed mox primum ducem, ex eis qui crucem sacræ militiæ notam induerunt, celebravere (2).

Quæ quum ita sint, id verum exstitisse videtur, scilicet quod duo imperatores seu per sinceram sui existimationem, seu per necessitatem, pacem et amicitiam inter sese servaverunt, quodque Orientis et Occidentis negotiatores non dubitaverunt commercio vacare. Documento sint in Francia materiæ, quas ex Oriente solum advectas licet credere, vestes olosericæ, quibus filiæ et uxor, imo ipsi Karoli Magni proceres gloriantur, pelles et stragula animalium, quibus suas vestes ornare solent reges doctores et sacerdotes (3). Documento species, de Taprobana deque remotissimis insulis, Alexandriam et inde Massiliam advectæ, quæ pro culina et remediis tam magni pretii ductæ erant, ut medii ævi scriptores (4), quotiescumque paradisum aut amœnissima loca describunt, ea arboribus species ferentibus ornent, utque Judæis nonnullæ civitates pro tributo imponerent certum specierum pondus (5). Documento quoque gemmæ, margaritæque tam numerosæ in vestibus aut in capsis reliquiarum sacris, aromata, vestes splendidæ auro argentoque mixtæ depictisque ornatæ figuris quas ocellatas vocabant patres nostri; documento demum tapetes acu picti, quos sacerdotes pro suis ecclesiis requirebant (6). Omnia quæ profecto commercium inter Franciam et Orientem floruisse demonstrant.

Haud aliter sese res habuit, quando patris in locum suc-

(1) Poet. Anon. IV, 90. Bouquet. V, 167.
(2) G. Paris. op. cit. 337, 350.
(3) Montfaucon. op. cit. I, 16.
(4) Cangius. op. cit. species.
(5) Depping. I, 288.
(6) Historia monasteri. S. Florenti Salmuriensis. — Martène. V. 1106-1107.

cessit Lodovicus Pius. Anno enim DCCCXXXI, apud villam Theodonis, ubi placitum generale habebat « tres legati Sarracenorum (1) a transmarinis partibus venere deferentes grandia munera, odorum scilicet diversa genera et pannorum. » Quando vero pariter conciderunt, inque partes varias distracta jacuerunt Karolinorum et Abbassidarum imperia, cessavere non modo commercium sed etiam securitas. Anno DCCCLVI monachus Frotmundus semel atque iterum loca sancta visitabat adhuc securus (2), sed anno DCCCLXX monachus Bernardus (3), contumeliis per totum iter oneratus, Hierosolymam vix petebat, et in ea quatuor ecclesias christianas inveniebat semirutas. Non enim modo Abbassidarum successores sed etiam populi, vesano religionis æstro, ut ita dicam, perciti, tunc in Christianos sævire inceperunt : eo magis quo reges et episcopi Franciæ minus jam curabant urbem sanctam. Helias patriarcha Karolo Juniori scribebat anno DCCCLXXXI (4) deplorando tribulationes quas a nefanda gente perpetitur, ecclesiasque partim dirutas, partim casuras : Quas ad reficiendas oliveta et vineas et ipsa ecclesiæ sacra vasa tradidit, sed frustra. Non enim satis accepit pecuniæ, ut saltem mœnia resarcire valeret. Imo oleum ad luminaria defuit. Pauperes ideo peregrinique et negotiatores fame tabescunt, et in captivitate multi non redempti deficiunt. Karolus autem junior, in Francia negotiis acerbissimis distentus, inauditos dimisit patriarchæ legatos Gisportum et Rainardum.

Mox autem ad id miseriæ descenderunt Christiani, totque acceperunt a Sarracenis opprobria, ut Europa fremens ruerit in Asiam, perque duo sæcula duxerit exercitus in crucis inimicos. Tunc solum renovabitur commercium.

De Sarracenis Africæ.

Non autem modo cum Orientalibus Mahumedis sectatoribus commercium exercebant Franci : nempe inter eos Sarra-

(1) Bouquet. VI, 112. — Annales Bertin. 831. Bouquet. VI, 193.
(2) Annal. S. Bened. III, 56.
(3) Id. II, 165.
(4) Bouquet. IX, 294-5. — Spicil. II, 272.

cenosque Africæ et Hispaniæ frequentes erant usus. Monachus Sangallensis narrat ex Africa (1) venisse ad Karolum Magnum legatos deferentes leonem Marmaricum, ursum Numidicum, cum ferrugine Hibera, Tyriaque musica, et ceteris earumdem regionum insignibus. Karolus autem, qui reddiderat frumentum, vinum et oleum, eos sibi fideles amicos fecit, adeo ut posthac dederint (2) licentiam auferendi reliquias S. Cypriani, Sanctorumque Scillitanorum martyrum Sperati sociorumque ejus. Talis vero amicitia neque solida neque longa evasit : Mox enim mare infestum habuerunt Africæ Sarraceni, et usque ad annum MDCCCXXX maximo detrimento fuerunt Christianis negotiatoribus.

De Sarracenis Europæ.

Hispaniæ vero Sarraceni, seu propter nimiam vicinitatem, seu propter bella sœpius renovata, raro cum Francia negotiabantur. Unum vero commercii genus semper floruit, venditio scilicet Christianorum servorum. Judæi ante omnes tali incumbebant negotio, quippe qui, per suam religionem, nullo conscientiæ vinculo detinerentur, et interdum Christianos furari auderent. « Supervenit quidam homo, scribebat Agobardus (3), fugiens ab Hispanis de Corduba, qui se dicebat furatum a quodam Judæo Lugdunensi ante annos viginti quatuor, parvum adhuc puerum, et venditum : fugisse autem anno præsenti cum alio qui similiter furatus fuerat Arelate ab alio Judæo ante annos sex : Cumque hujus qui Lugdunensis fuerat nomen quœreremus et inveniremus, dictum est a quibusdam et alios ab eodem Judeo furatos, alios vero emptos et venditos. » In hæc jure quidem invehitur Agobardus, severasque implorat leges : eo magis quod Judæi, tali commercio non contenti, eunuchos et venumdabunt Sarracenorum moribus et religioni necessarios.

(1) S. Gall. II, 13. Bouquet V, 126.—Poet Sax. V, 500. Bouquet V, 181.
(2) Chronicon. Adonis (807). Bouquet. V, 322.
(3) Agobard. De insol. Jud. Bouquet VI, 385. — Bibliot. Patrum XIV, 255.

Una Franciæ civitas, Virodunum, eunuchorum commercium sibi servavisse videtur. Nempe legimus in historia Luitprandi (1) uti a Berengario rege Italiæ missus ad imperatorem Constantinopolitanum ei dono dedit quatuor carsmatica. « Carsmaticum autem Græci vocant amputatis virilibus et virga eunuchum, quos Verdunenses ob immensum lucrum facere solent et in Hispaniam ducunt. »

Hæc de Sarracenorum commercio satis. De aliis vero populis, qui additi erant falsis numinibus, nullum habemus documentum, quo inter eos et Franciæ negotiatores commercium exstitisse demonstremus.

CAPUT V

De ruina commercii

Omnia documenta quæ spectant ad Franciæ commercium seu interius seu exterius, regnantibus Karolinis, raro alios reges atque Pippinum, Karolum Magnum, Ludovicum Pium, et Karolum Calvum nominant.

Quæ causa est igitur cur de aliis principibus tacuerint historiarum scriptores ? Nulla prorsus alia quam, eorum sub regnis, commercii ruina, cujus prœcipuæ causæ nobis sunt enumerandæ.

Procerum potestas.

Ante omnia nil magis obstitit commercio quam novus in societate rerum status. Neminem prorsus latet quomodo regiæ potestati, scilicet unius imperio, successerit procerum potestas, scilicet multorum imperium. Ex quo per totam Europam quisque, seu in civitate, seu in castello, segregem egit vitam, nilque antiquius duxit quam ut sua per fraudem et rapinam augeret, non erat ut commercium floreret, imo

(1) Luitprand. Muratori. Annal. Ital. II, i, 473.

exsisteret. Reges enim nullam inter sese exercent amicitiam, inque suis regnis impediti res exteras ideoque negotiatores omnino negligunt. Proceres autem, qui quidem id solum curant ut vicinorum potentiam frangant, de provincia sua raro egrediuntur. Civitatum incolæ aut se defendunt in proceres, aut civilibus laborant discordiis, sumptu que exhauriuntur, non jam ut naves adornent, sed ut arma habeant, mæniaque ædificent. Plebs denique obrutescit miseria et servitute. Quid plura? Negotiatores non modo extra Franciam, imo ne suam quidem extra urbem, fortunæ discrimen tentare non audent, quippe qui nil aliud certum inveniant quam spoliationem et latrocinium. Nil igitur mirum si monachi, tunc temporis, de monasterio ad aliud monasterium mitterent epistolas, non secus ac si duas mundi partes penitus remotas habitarent; si geographicæ notiones (1) adeo exoleverint ut nepotes Normannorum qui nuper totam peragrabant Europam, crederent Lunam esse Romam, de Scania obscure loquerentur, Daniæque situm ignorarent, quam non procul ab ostiis Danubii ponerent (2).

Immunitates.

Causa exstabat alia, quæ commercium in pejus trahere debebat, immunitates dico, quas exercere conabantur urbes, ecclesiæ, castellaque, magno prorsus cum detrimento et injuria negotiatorum. Omnes enim qui non fruebantur immunitatibus deficiebant animo, quippe qui eo magis opprimerentur, quo alii magis liberi et immunes evadebant. Immunitates plerumque ad fluvialem navigationem (3), rarius vero ad terrestre commercium spectabant (4). Illud quoque notandum est, scilicet non a regibus modo, sed etiam ab ipsis proceribns, aut comitibus, aut episcopis talia privilegia esse concessa. Inde mira confusio perpetuique tumultus, inde ruina

(1) Depping. Expédit. d. Normands.
(2) Guillelmus Gemedii. I, 2. — Santarem. Cosmographie et cartographie du moyen-âge. I, 182.
(3) Immunitates hujusce generis enumerare si velim dies me deficiet. Vide, exempli causa. Bouq. VIII, 450, 455, 484, 550. — Bal. II, 1406, 7, 14, etc. — (4) Bal. II, 1453.

commercii, cui sese dare audent soli aut advenæ aut Judæi, scilicet omnes quibus nulla alia vivendi via relicta est.

Regum auctoritas.

At enim regibus regumque ministris militibusque copia erat coercendi talia. Haud ita prorsus : Reges enim ad id infirmitatis reducti fuerant ut ipsi milites et regum ministri darent exemplum rapinarum (1). » Ludovicus Pius inhibuit a plebe ulterius annonas militares, quas vulgo foderum vocant, dari. Et licet hoc viri militares ægre tulerint, tamen ille vir misericordiæ considerans et præbentium penuriam et exigentium crudelitatem de suo subministrare suis satius judicavit quam suos irretire periculis. » Id autem frustra : Ejus (2) enim filius severas instituere debuit pœnas contra potentes et honoratos sive ecclesiasticos sive sœculares qui « a populo, in quorum domibus mansiones accipiunt, suis usibus, suorumque equorum necessaria per vim tollunt. » Hæc sub regnantibus primis Karolinis : Quid ergo sub extremos hujusce stirpis reges ?

Quinetiam regi, et præsenti, facultas non erat obsistendi exactionibus, si saltem vigesimo octavo canoni concilii Meldensis anno DCCCXLV credimus (3) : « Vestra studebit magnitudo obnixius observare ut civitates, per regis transitum, non deprædentur, ut quando transitus vester juxta civitates acciderit, immunes et liberas vestra dominatio jubeat a deprædationum exactionibus fieri mansiones intra civitatem. Quia... pristinæ immunitates et confirmationes infringuntur, dum et cives ab hospitibus opprimuntur, sua non solum vendere prohibentur, sed et propter direptionem post eos cum gemitu clamare cogantur. » Ex quo conjici potest quibus contumeliis onerati quibusque periculis circumventi negotiatores essent, procul a rege.

(1) Bouq. VI, 90.
(2) Baluze. II, 345, cap. (854), 4.
(3) Labbe. Concilia. VII, 1829.

Latrones.

Ea enim tempestate latrones impune grassabantur, suaque latrocinia nos secus ac artem profitebantur. Rari olim erant, et in eos benignas pœnas capitularia ferunt (1) : « Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstuelerit; in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, et insuper bannum nostrum, i e, sexaginta solidos nobis componat. Postmodum vero ante nos a comite adducatur, ut, in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit, luat pœnas. » In dies autem adeo crevit latronum audacia ut sese in societates formaverint, viasque fecerint impervias (2). Idcirco mox silvæ sabuletaque in locum camporum successere. Ex urbe Meldensi usque ad Aremoricam nil aliud tunc exstat quam immensa regio silvis horrida, a paucis viatoribus lustrata. Formidandæ enim narrantur fabulæ, quarum auctores forsan ipsi latrones aut etiam castellorum domini evadunt. Ne peregrinis quidem tunc parcent latrones. « Perventum est ad nos quod eos qui Romam orationis causa pergunt vel qui negotiandi causa per regnum nostrum discurrunt, collecti latrones diripiant, eosque aliquoties vulnerent, vel occidant, eorumque bona capiant etc. » Totam igitur Franciam occupat terror ingens, perque regnum omnino cessat commercium.

Omnia igitur concurrebant, ut in exitium rueret commercium, procerum scilicet auctoritas, nimiæ immunitates, regum impotentia, latronesque impuniti. Adversantibus tamen et repugnantibus tot causis, commercium fortasse non desiisset nisi calamitas accidisset inopiniata, Normannorum aliorumque dico incursiones perpetuasque direptiones.

(1) Bal. I, 645, cap. Ingel. I. — Bal. I, 1265, can. Isaac, tit. 6.
(2) Bal. II, 345, capit. imperatoris Ludovici Secundi (854).

De Normannorum, Sarracenorum, Hungarorumque incursionibus (1).

Non ea profecto mens est nobis ut Normannorum Sarracenorumque bella narremus. Illud solum indicandum nobis videtur, scilicet quomodo diriperent Franciam, ideoque commercio obstarent (2).

Karolus Magnus, cujus erat mens provida, jusserat instrui naves juxta flumina quæ de Gallia et Germania Septentrionalem influunt Oceanum (3). Stationes quoque et excubias per portus et ostia fluviorum disposuerat, sicuti id demonstrat capitularium anno DCCCII latum de navigiis præparandis circa littora maris (4) : « De liberis hominibus qui circa maritima loca habitant, si nuntius venerit ut ad succurrendum debeant venire et non veniant, unusquisque solidos viginti componat. » Fecit idem (5) in littore provinciæ Narbonensis ac Septimaniæ, toto etiam Italiæ littore usque Romam contra Sarracenos. Atque ideo, jure quidem, vates scribere poterat (6) :

O quantum Curis respublica creverat illis !
Quam conservatum floruit imperium !...
Gallica præstuxit nec non Germanica classe
Littora, qua fluvios suscipit Oceanus.
...Ostia seu portus, positis stationibus, omnes
Fecit inaccessos hostibus omnimodis.

Ludovicus Pius quoque « præsidia posuit in littore maris, ubi necesse fuit (7). » Sarracenisque bis intulit bellum (8). Karolus Calvus denique decretum edidit « de maritima

(1) Bonamy. Mémoire sur l'état de la France à l'époque de l'invasion des Normands. Acad. des Inscrip. an 1740.
(2) Depping. Histoire de l'expédition des Normands, et de leur établissement en France au Xe siècle. 2 vol. in-8°, Paris, 1826.
Reinaud. Invasions des Sarrasins en France. 1 vol. in-8°, Paris, 1836.
(3) Einhard. Teulet. I, 56, 58.
(4) Bal. I, 377. art. 14.
(5) Einhard. Teulet. I, 51.
(6) Poet. Sax. V, 385. Bouq. V, 179.
(7) Chron. Moissac, Bouq. VI, 171.
(8) 820, 828. Einhard. Annal.

custodia ut secundum consuetudinem vigilanter retur (1). » Hæc autem mox vana cessere : Etenim ab a... DCCCXLVI « deserta erat custodia littorum maris Oceani » (2), piratæque Franciam faciebant suam.

A Karolo Magno Normanni inceperant adversa subire flumina, urbes, portus, vicos diripere, ne monasteriis ne ecclesiis quidem parcere, prædaque onerati abire ut mox redirent (3). Nonnulli, fateor, inter Francos, arreptis armis contra nefandos hostes, animos civium refovebant (4), plerique autem ad id inertiæ adducti fuerant, ut ad pactionem cum patriæ hostibus interdum descenderent (5).

Nil igitur aliud invenire est in hujusce temporis historiis quam Normannorum directiones. Francia tamen divitiis tunc abundabat (6), quum Normanni, quotannis redeuntes, semper aliquid rapiant, tributaque maxima exigant (7), præcipue e monasteriis (8). Mox vero ad id miseriarum detrusi fuerunt majores nostri ut imperator Karolus Calvus suis comitibus mandata hujusce generis dare fuerit coactus : (9) « Missi... quid Normannis per nostram commendationem vel sine nostra commendatione datum sit, quidve relictum, vel quid a quoquam in eleemosyna datum inquirant; inquirant quoque ubi loca a Normannis sive a quibuslibet destructa sunt.... » Quod profecto calamitates Franciæ, commerciique ruinam manifesto denuntiat.

Quod ad Sarracenos attinet eo duriores quo tardiores, piraticam artem præcipue exercebant. Nunc portus, Massiliam exempli causa annis DCCCXXXVIII et DCCCXLVIII, ferro et incendiis vastant (10), nunc per medias incedunt terras, et in Ca-

(1) BAL. II, 69, cap. de 854, tit. XV, art. 3.
(2) Ex translat. S. Philiberti.
(3) Documento direpti Quantowicus et Deuerstadus. BOUQ. VII. 329.
(4) Documento sint Odo, Gozlinus, Robertus, Ludovicus Tertius, Carlomannus, etc.
(5) BAL. II, 186, édit. Pist. 25.
(6) LUPUS SERVATUS. ed. Sirmond. de Normannis in Campania anno DCCCLXVI.
(7) HINCMAR. II, 82. Annales Bened. passim.
(8) SPICILEG. Ex gestis consulum Andegavensium III, 240. Annales Bert. 840.
(9) BAL. II, 536, cap. S, Med. Sues. 853.
(10) BOUQ. VIII, 65.

maria Arelatensem (1) episcopum Rotlandum capiunt : nunc monasteria depopulantur Agaunense, et Novaliciense, et Jancellense (2), imo et in Aremoricam perveniunt (3).

Hac re autem præcipue Sarraceni commercio Franciæ obstabant, scilicet quod omnes e Francia in Italiam intercludebant aditus. Ex quo enim Fraxinetum occupavere, quod in eorum (4) manibus specula, ut ita dicam, oppidumque factum est, sese passim diffudere agris et urbibus vastitatem inferendo. Frodoardi Chronicon nos docet (5) eos tenere meatus Alpium et vicina quæque loca terrere, nunc obruendo lapidibus negotiatores et peregrinos, nunc ab eis exigendo tributa. unde fit ut, per totum seculum nonum, nulla sit Provinciæ mentio, utque rerum hujusce temporis scriptores Massiliam, Aquas Sextias, aut Arelatem non magis ac ignotam Sequanæ villam aut Rheni pagum cognoscant. Jure igitur vates deplorabat Franciæ statum :

Francia ! Quam variis cladibus opprimeris !
Gentibus ecce pates populantibus undique sævis :
Et, quondam felix, nunc nimis es misera.
Quippe tuis hilares exsultant fletibus hostes,
Ditanturque tuis assidue spoliis. (6)

Unanimes enim, ea tempestate, scriptores describunt Franciæ calamitates et infortunia « Tunc erat, ait unus eorum, (7) non modica tribulatio, quia per omnes pene pagos... dispersæ sunt ecclesiæ, urbesque depopulatæ, atque monasteria abjecta... tamdiu perstiterat sævissima Marcomannorum atrocitas!... sed maxime juxta mare tellus inculta manebat, accessusque hominum illo rarus erat nisi in tutissimis et munitissimis castellis. » Haud aliter alii scriptores, præcipue quando Hungari, velut ultimus tempestatis fluctus, Franciæ

(1) Annal. S. Bened. III, 158.
(2) Id. III, 457, 327, 332.
(3) Bouq. VI, 308.
(4) Luitprand. I, 1. Sigeb. Gembl. VIII, 307.
(5) Frodoardi. chronicon. Bouq. VIII, 177, 180, 189, 193, 194, 207.
(6) Bouq. V, 129. Poet. Sax. V, 401.
(7) Vaissete. op. cit. I, 108. Fragmentum Aigonis, abbatis monasterii Wavrensis.

miserias conficiunt, nilque aliud nisi ruinas per campos relinquunt.

Animorum desperetio.

Inde summa animorum desperatio, quos occupat ingeus torpor. Veluti animalia jugo assueta, tacent omnes, seque suosque fato permittunt : non armis sed lamentis, non brahiis sed precibus utuntur. « Quis unquam crederet, ait Paschasius (1) Ratbertus, quod accidere tale aliquid potuisset in nostris partibus? quod latrones promiscuæ gentis unquam talia auderent? vel quis œstimare potuisset quod tam gloriosum regnum tamque munitum et latissimum, tam populosum et firmissimum, talium hominum humiliari vel fædari sordibus deberet.... propter peccata nostra hæc patimur (2)»

Quorsum autem talis particularia ? Nil aliud testatur quam Franciam tot miseriis desperatam jacere, ideo que commercium, in deterius collapsum, omnino evanescere.

(1) In lament. Jeremiæ. IV. Bibliot. Pat. XIV. 817.
(2) Cf. Caroli Calvi lamenta in edicto Pistensi. § 26. Bal. II, 186.



abundabant, Magalonam dico, Quantowicum, Deuerstadum, qui quidem nil aliud quam nomen reliquerunt.

Quinetiam ad alias transire regiones non dubitabant negotiatores, commercio que utebantur cum populis seu Christi seu Mahumedis religionem colentibus. Raro cum Anglia, quæ civilibus laborabat discordiis, aut cum Hispania quæ bellum contra Sarracenos quasi anniversarium sustinebat, sœpius cum Germania et Italia, aliquantisper sub eodem dominatu retentis ac Francia, commercium exercebant nostri; neque sine utilitate, sicuti id demonstrant et peregrinationes ad sancta loca, et pontus Rheno injectus, et fossa de Danubio ad Rhenum ducta. Propter finitima imperia Karolini et Cæsares Constantinopolitani sibi invicem invidebant, ideoque negotiatores raris inter sese jungebantur vinculis. Reges nostri per ignorantiam neglexerant occasionem sibi conciliandi populum novum, Russos scilicet; mutuis autem fœderibus sese junxerant cum Mahumedis asseclis, et præcipue cum Asiaticis Sarracenis.

Quæ quum ita sint, commercium Franciæ, sub regno primorum Karolinorum, neque sine gloria, neque sine fructu evasit : Mortuo autem Ludovico Pio, per crescentem procerum infirmatamque regum auctoritatem, per latronum, barbararumque gentium incursiones, perque animorum desperationem in pejus ruit.

Non ea profecto mihi opinio est nihil in tanta materia omissum esse, nihil male intellectum : Fundamenta vero domus posita sunt. O utinam, benigne lector, incæpto ædificio novos addas lapides !

VIDI AC PERLEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. v., id. febr. anno MDCCCLXIX.
Falcutatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

PATIN.

TYPIS MANDETUR.

Academiæ Parisiensis rector.

A. MOURIER.

INDEX

PARS TERTIA

De populis cum quibus exercebatur commercium.



Besançon. — Imprimerie Dodivers.

ERRATA.

Page 25,	ligne 24,	*au lieu de*	medecina,	*lisez*	medicina.
— 35	— 21	—	haut,	—	haud.
— 36	— 21	—	servias,	—	servas.
— 38	— 23	—	hùjuscè,	—	hujusce.
— 46	— 9	—	Tancho nem,	—	Tanchonem.
— 46	— 10	—	conflovisse,	—	conflavisse.
— 51	— 26	—	non nunquam,	—	nonnunquam.
— 52	— 18	—	obtrutæ,	—	obrutæ.
— 54	— 11	—	decreto,	—	decreta.
— 57	— 2	—	mangorum,	—	mangonum.
— 57	— 25	—	Theoldulfus,	—	Theodulfus.
— 62	— 9	—	nulites,	—	milites.
— 63	— 12	—	cœgerat,	—	coegerat.
— 64	— 15	—	convocatnm,	—	convocatum.
— 66	— 25	—	cor,	—	cur.
— 70	— 21	—	multitudinc,	—	multitudine.
— 72	— 21	—	eommodis,	—	commodis.
— 74	— 2	—	et,	—	ac.
— 80	— 14	—	snscipiuntur,	—	suscipiuntur.
— 81	— 3	—	Hieresolymorum,	—	Hierosolymorum.
— 83	— 31	—	venumdabunt,	—	venumdabant.
— 87	— 30	—	perpetu as,	—	perpetuas.
— 88	— 19	—	præstuxit,	—	præstruxit.
— 91	— 3	—	desperetio,	—	desperatio.
— 91	— 4	—	ingeus,	—	ingens.
— 91	— 14	—	particularia,	—	patientia.
— 92	— 7	—	regcs,	—	reges.
— 97	— 21	—	Hungarornm,	—	Hungarorum.
— 97	— 23	—	aminorum,	—	animorum.
— 36 et 45,	note 2,	—	Heuschel,	—	Henschel.
— 50,	note 4,	—	Théodonis,	—	Theodonis.
— 52	— 4	—	evectionibns,	—	evectionibus.

— 40, ligne 6, indiquer des guillemets avant *potum*.
— 57 — 18 supprimer la virgule après *metropolim*.
— 15 — 1 — — *benigne*.
— 80 — 6 — — *sibi*.
— 76 — 12 mettre la virgule avant et non après *licet*.
— 16 — 9 mettre une virgule au lieu d'un point après *Christiani*.

